Joannes III. Sobieski.
Poloniarum Rex

Witowicki Joan. Stanislai: Serenissimi ac Potentissimi Principis D.D. Joannis III. – electio ex prudentia, corona ex iustitia compendiose delineata.

SERENISSIMI
AC
POTENTISSIMI PRINCIPIS
D. D. IOANNIS III.
DEI GRATIA

Electi & Coronati Regis Poloniæ,

Magni Ducis Lituaniæ, &c. &c. &c.

ELECTIO
EX PRVDENTIA,
CORONA
EX IVSTITIA,

COMPENDIOSE DELINEATA,

ET

Sacræ Regiæ Maiestati præsentata,

INTER SOLEMNIA CORONATIONIS

CRACOVIÆ,

Anno Salutis M. DC. LXXVI. Die 2. Februarij.


IN SOLE POSVIT TABERNACVLVM
TESTIMONIVM DOMINI FIDELE
Refulsit sol super clipeum

DEDICATIO.

SACRA REGIA MAIESTAS

DOMINE CLEMENTISSIME.

QVi Augustum illud Vniuersi Volumen Mundum, Adamantino stylo connotatis, Hæroicarum Virtutum occupas actionibus: eiusque Superam & Inferam paginam, æternis imples Caracteribus, PRINCEPS AVGVSTISSIME: Cui Christianus & Barbarus Orbis, Ecclesia, Patria, Ciues, & qui viuunt, & qui victuri sunt, in Summa Elogiorum transeunt argumenta: illius Augusta opera, ad angusta contrahere Compendia Regio Cultui Tuo dicatus Calamus, ea præsumit necessitate; quæ aut infinitã illam Supremi Numinis Maiestatem, toties humanis audet deffinire conceptibus; aut ingentes Terrarum, Cœlorumque globos, exiguis solet arctare paginis. Humanæ nimirum in Gratiam imbecillitatis, quæ si non capit, carpit; etiam Sa-

crosancta. Dabis itaque vrgenti huic necessitati veniam PRINCEPS HVMANISSIME: Soliumque Tuum id etiam commune cum Sole habere facies, si radijs Clementiæ minutissimos alleuans Attomos, digna Maiestate Tua ex illis formaueris Metheora.

SACRÆ REGIÆ MAIESTATIS TVÆ

humillimus Seruus

& indignus coram DEO Exorator

IOANNES STANISLAUS WITWICKI,

Præpositus Infulatus

Sacræ Maiestatis Tuæ Secretarius.

ELECTIO
EX
PRVDENTIA.

QVæ tribus digitis appenſam mundi ſuſtinet molem: quæ in ſtatera Æterni conſilij, Regnorum Ortus, & incrementa, caſus & Occaſus librat: eadem Principes populis aut imponit, aut largitur dextera. Princeps Auguſtiſſime; Eius nutu exſurgit quiſquis in terris eminet: quiſquis Numinis gerit vices; Hoc tamen diſcrimine, quod alij Principes, Dei Gratia conceſſi; alij eiuſdem Indignatione immiſſi; alij vt ros cæli, alij vt Spiritus procellarum deſcendentes: palàm faciunt; **Quod pro Meritis Subditorum, diſponatur à Deo vita Rectorum.**

Quos Numen auerſum caſtigandis Populorum noxis, Principes nominauit: illis ad Thronum CASVSVE DEVSVE pandit iter. Horum Regna, eorundem Syderum reguntur aſpectu, quorum influxus dederat Reges. Talium Principum fulguris ad inſtar, tota vis in ortu ſita; plerumq; parent & diſparent; ſibi non alijs exorti, per depreſſas populorum aſſurgunt ceruices. Regnorum ſuorum Faſtos; Faſtu, Caſibus cædibuſq; implent: publicis calamitatibus regiminis ſui inſigniunt tempora; dumq; AVGVSTIS, TRAIANIS, CONSTANTINIS, THEODOSIIS aſſociari non valeant; NERONES, GALBAS, VITELLIOS, DOMITIOS, HELIOGABALOS, immitantur: & quemadmodum à communi bonorum Principum via; vita & moribus aberrant; ita regiminis exitu in hoc præcipuè diſpares; quod vbi inuenerint,

qua CVM GENTE CADANT, ingentibus Imperiorum tumulantur cum ruderibus; quibus ſerus inſcribit Viator. CVM POPVLO IACET HIC ET IPSO CVM REGE REGNVM. Et hæc de Principibus qui aduerſo obueniunt cælo; hæc de fulminibus quæ in ſubiecta inuiſi populi capita irati Iouis proicit dextera.

Iam verò quos propitium Numen, ſerenum cælum, tribuit Principes; in quibus Genuinam ſupremi Originalis Idæam, Vicariam Regis Regum poteſtatem exhibere conſtituit; Eos diu ſub velo Fatorum, Arcano conſilio, velut in PROSCENIO, belli paciſq; exercitatos artibus; ex meritis, ex dignitate ex capacitate lectos; extra ambitum quæſitos, ex millibus ſelectos, REGIA VIA PATRIJS LEGIBVS, ET INSTITVTIS ad Regale vel reluctantes ducit Solium. Idq; illis ipſo in limine dignitatis tribuit, vt non more monſtrorum aut abortiuorum, ſed ſine conuulſione ſtatus, ſine dolore, ſine ſanguine & lachrymis, parturientis Reipublicæ naſcantur. Id inſuper cum Sole Planetarum Principe commune habentes; vt modeſtam & verecundam ante Ortum explicent auroram; vt Lucem quâ proſint, non obſint diffundere: fulgere non fulminare: vmbras pellere non oculos ferire; lachrymas deſiccare, non prouocare nati videantur gradario ad Solium procedentes paſſu, nec niſi cumulatis in populum beneficijs, coronatis felicitate publica ſubditorum temporibus, Verticale in meridie aſcendunt Zenith: non mutuata ad inſtar lunæ coronandi luce; ſed propria virtute emanatis, cingendi radijs.

Nobis hæc in Electione Tua Diuinitus contigit felicitas, Regum deſideratiſſime; dum tot annorum decadibus auerſum à nobis cælum; Sereniſſimo Nominis Tui gratiâ illuxit Sydere. Tum primo fauentis Numinis vultum, velut in ſpeculo, noſtris contemplati ſumus in terris, dum ille Electoris populi campus; qui toties digladiantium odiorum arena, factus; toties Ciuili

uili in gratiam Candidatorum ſudare viſus ſanguine; in quo velut in Theatro fortunæ, tot Comicas tot Tragicas luſit viciſſitudo ſcænas. Coronam Sarmaticam modo ad rotas, modo ad malleos damnans; modo pernicitati equorum aſportandam relinquens; modo Marti modo arti occupandam exponens. Ille inquam, Campus tot caſibus doliſque peruius, qui eo toties degenerat infelicitatis, vt velut MALEDICTA TERRA, nil PRÆTER SPINAS ET TRIBVLOS GERMINARE creditus, Externæ ſegetis indigus cenſeretur; ſe iam non modo bonarum legum, ſed optimi Principis feracem oſtendit.

Dabantur Nobis velut in JRA DEI REGES, QVORVM LINGVAM NON INTELLIGEBAMVS, mores non nouimus; de affectu dubij; de effectu promiſſorum incerti; Rempublicam ad inſtar illius Statuæ habebamus; quæ Genere, Specie, & Metallo diuerſum à corpore, gerebat caput; Monſtro ſimillima. Hinc illa cauillandi Gentem Noſtram apud pleroſq; occaſio, dum Nos à Serbis ſeu Seruis tum Sclauonibus Oriundos, perpetuæ Externorum Principum ſubiectioni alligatos (capitis raſuram, cincturam, notas ſeruitutis in Nobis appellabant.) illi adſcribebant Maledictioni; **Non exibit Dux de femore Tuo Polonia.**

Erat animus penultima Electione, & Optimum & Jndigenam, quærere Principem; ſed quia necdum venerat PLENITUDO TEMPORIS, necdum propitium fauebat Numen; eo momento quo ad Suffragia itum, Nox Solem mundi oculum occuluit; quo facilius in obſcuro, Princeps Auguſte, libera à Te pro tunc deuiarent vota: Ita pro aliquot horis denegatum tum Solem, fauentius Cælum triduana poſt compenſat luce. Fauit Ordinum Poloniæ imperfectæ Triadi, Summa illa & perfecta deſuper Trias; dum ſibi Sacrum, Tuæ Electioni cum alijs duabus concederet diem; ſcilicet medium Creati mundi tempus, recreandæ Poloniæ nata, Tua Electio vel ideo inſumpſit; vt facilè conſtaret vniuerſis, pro-

motionem Tuam, Diuinum esse Opus. Ex eodem, Omnipotenti FIAT, & solem quondam nascente mundo Exortum, & nunc solium tuum exstructum. Quæ omnia quibus motiuis & medijs facta; & Tuæ Virtutis, & Electoris Populi prudentiæ interest. vt totus fateatur Orbis, quia in Persona Tua, **Fecit nobis magna qui potens est.**

Roma Sacro Conclaui Purpuratos Principes; Francofurtum vallo & munitionibus vrbis, Augustum, Octouirum includit Collegium: Venetia tacitis suffragijs vrnâque Electionis Suæ tegit MISTERIA; Sola Polonia patentibus Campis, Cælo teste, aperta in Electione Principis explicat vota. Ideoque ni suprema Numinis faueat protectio, tot malis peruios, Electoralis Populi Campos, ex anteactorum memoria supra monstrauimus. In Tua Electione Princeps Auguste, luculento sensimus experimento, Campum Electoralem in Augustum Conclaue commutatum. vnde **Fati necessitatem, Casuum Varietatem, Fortunæ leuitatem** & prouidentia Diuina, & prudentia humana, exclusam spectauimus. Adeò amor boni publici fida eum cinxerat custodia; vt nec aureis clauibus, nec mille dolis Sarmaticum patuisse Conclaue exoticus repererit Mercurius. Vidit seipsum inde exclusum, vnde Principem Indigenam Summo Gentis Nostræ dedecore excludere contendebat.

Dabantur patulæ Externis Oratoribus aures; Corda Tibi soli patebant, quem afflictis in tutellam rebus Nostris, ille designabat: PER QVEM REGES REGNANT. Erigebantur ignotis Altaria Diuis, ingentibusq; fumabant promissis; nec tamen CVRRIMVS IN ODOREM; nec tamen Imperij Nostri fortunam, ibi litare voluimus. Multi Nostrum Externis vinciebantur fauoribus, nemo tamen de longe petitis vincebatur argumentis; & si quispiam ingenioso illo Ternarioque numero insignito, al-

liga-

ligaretur vel manciparetur vinculo; Electionis Tuæ die fateri debuit; Supremam Triadem Tibi tam fuisse propitiam, vt Aduersantes illos Virtuti Tuæ destruxerit Ternarios. Solueritq; in Electione IOANNIS, & linguas & nodos; scidit æternum Consilium virides nouæ externorum Spei Gordios; vt innodati animi, pristinæ qua eligendus eras restituerentur libertati.

Ita Numine pro te operante, modestia Tua tacente, internus cuique pro dignitate Tua, pro bono publico, (quod in Te solo iam cernebatur) loquebatur instinctus; & quemadmodũ sol sine interprete, clarus; sine promissis beneficus; sine digito monstrante notus vniuersis comparet; ita Tu sine ambitu, sine Oratore, sine promotore, dum alienam forte agebas causam; Tuum ab eis videras promoueri negotium in Electorali Campo, quorum Tu toties in Martiali arena tuebaris Salutem. Eorum omnium Iudicio, quos TVÆ FECERVNT VICTORIÆ CIVES, solus præ cæteris visus es, qui Orbitatis Nostræ pensares, superaresque iacturas.

Gratum erat Genti Nostræ etiam illo afflictissimo Statu, tot tantosque recensere Candidatos: at longe gratius intra se, in vno CONCIVE suo, velut in Compendio totum id reperiri, quo sparsim ab extra monstrabatur.

Erant quorum matura ætas, defæcatam iactabat prudentiam; sed exacti æuo dies, Martialium laborum negabant tollerantiam; vel debitam in tanto periculorum æstu, desiderabant actiuitatem. Erant quorum vegetiores anni, feruentiorem Sanguinem, ipsumque spirabant Gradiuum: sed rerum experientiam, non nisi per Casus & errores parandam, futura primo promittebant; non præsentia dabant tempora. Alteri, excelsæ animi dotes, belli pacisque decora, emeritam spondebant Coronam; quam vicinus negabat liuor. Alios iusta ratio, alios immerita ab eadem arcebant odia. Ita nullius Candidati splendor, sine sequace vmbra: nullius

Thesis sinè obiecta erat Antithesi: Vnumquemque ali-
quo in rem Nostram commodo comitatum, mille se-
quebantur incommoda. Omnibus vt pote tantis à No-
bis disiunctis spatijs; instans; absentibus; præsens lon-
ginquis; vicinum, Electorali Campo obstabat periculū:
quod lenta remedia, segnes medicos exclu-
debat.

Tu præsenti necessitati, Tua consulere videbaris præ-
sentia. Princeps Augustissime, à Te iam Respublica
ea fortitudinis, prudentiæ, felicitatisque Tuæ; ea amo-
ris erga se acceperat experimenta; quæ ab exteris primo
expectanda, nec forte obtinenda erant.

Tempus erat, quo fatalis ille Trium Jmperiorum;
Centum Octuaginta Regnorum, per Asiam, Affricam
& Europam Domitor, Poloniæ Nostræ Triginta pro-
pè per annos, ingentibus conflictatæ bellis, Orbi Chri-
stiano formidandâ incubuit potentia. Et postquam
tantos Terrarum tractus, cum Antemurali Nostro oc-
cupauerat: vltima iam iam perituræ Genti, tot Natio-
nibus stipatus, ipse in persona veniens Tyranus, fere-
bat excidia. Quem huic Monstro opponeremus Her-
culem? Cui nos, nostraque fidentius committeremus,
fata? Cuius in humeros fatiscentem reclinaremus Or-
bem; Nonnè Tu solus eras Alcidas fortissime?

Impar quondam decennes post luctas expugnandæ
NVMANTIæ ROMA, non vicisset, nisi ad SCIPIONVM, FA-
TALE EVERTENDIS VRBIBVS NOMEN respexisset: Jmpa-
rem se Polonia Ter Denas post lassitudines, tantæ vidit
potentiæ, nisi ad Te expugnandis Patriæ Hostibus Ot-
tomanis, Nate Princeps fuisset conuersa; illis scilicet
maioribus, eo Avo, eo PARENTE progenite, quorum pri-
mus, belli Supremus Dux ZOLKIEVIVS, fuso toties ad
stuporem Orbis Ottomanorum Sanguine, immorta-
lem LAVREAM; alter, primus in sæculari Senatu Purpu-
ratus, gloriosè cum ijsdem confectæ pacis OLEAM refe-
rens Tibi cum Sanguine tot Illustria bellandi & paci-
scendi

ſcendi Orientali cum Potentia reliquere immitamenta, an incitamenta.

Ad te reſpexit vniuerſa Patria; qui auitis exemplis vt calcaribus ad gloriam vſus; tum adhuc, dum Tibi bellare cum hoc Hoſte non licuit, eum primo luſtrare voluiſti. Conſtantinopolim VENISTI, VIDISTI Gentem Hoſpes, quam VINCERES Imperator. Ad Te conuerſa Patria, quem Coſatica, Moſchouitica, Suetica, Brandeburgica, Tranſyluanica bella; alia exercuere, alia Genuinum Bellonæ Filium; alia ipſum experta Martem; alia denique prius minori poſt maiori inſignitum Claua, Herculem confeſsa; tandem Summum Exercitus Polonici, re & Nomine, mõſtrauere IMPERATOREM.

Illud præſertim bellum, quod, Roxolana & Thaurica-na potentia, imparatæ Poloniæ periculoſiſsimum emerſerat; Marte inuicto, arte Imperatoria ante nouennium, Te gerentem vidimus & mirati ſumus. Numero, viribus longe Superior Hoſtis, ſenſit ſe à tergo, à lateribus impetitum: obiectu Perſonæ Tuæ à fronte interceptum, eouſq; anguſtiatum, vt ſibi tum neceſsariæ, Nomini Polono glorioſæ pacis, eas acceptaret ad PODHAYCE Conditiones; pro quibus TIBI, REX, SENATVS, POPVLVSq; POLONVS publicas inq; ſeras ætates manſuras rependebat Gratias; vbi Senatus pro tum ORACVLO, ORE CRACOVIENSIS PRÆSVLIS hoc Tibi dederat, elogium QVOD EOS, QVI TE TEMPORE ANTECESSERE, MILITARI SVPERAVERIS PRVDENTIA DVCES.

Quem alium in tanto periculorum æſtu poterat reſpexiſſe Reſpublica; niſi Te, qui poſt tot bellicæ gloriæ Tuæ experimenta, maiora ſemper & maiora dare conſueueras. Regnante Nobis MICHAELE Principe; cùm euocata Nobilitas, nec dum medio ad Hoſtem itinere confecto, ſigna receptui daret; Rex vltra Leopolim non progreſſus. Tu velut Sarmaticus Hercules Supremam gerens Clauam, Lernæas pullulantis rebellione Hydræ, ingreſſus palludes; ſuis in Munitionibus hæ-

hærentem; oppugnasti & toties expugnasti belluam: Braclauiam & vltra quadraginta recepisti loca; confecissesque immane monstrum, & Turcici causas oppresisses belli; nisi fuissent qui tantum suæ crederent decedere æstimationi, quantum Tuæ accederet: ideoq; iam partim domitum, partim mitigatum, virtute, Dexteritate, Tua, rebellium Caput, collatis alteri insignijs, ad desperationem, ad Turcicam compulere deditionem. Secundo post hæc anno, eo planè tempore, quo vi fatorum commota Patria, ab extra damnosas auulsiones; ab intra fatales patiebatur conuulsiones; Hostibus amica, sibiipsi hostis facta: Tu incredibili vsus Celeritate, dimissis impedimentis; inuia & deuia superas; flumina altosque vndarũ gurgites sinè ponte, sinè cimba, ipse ante signa felicissimè enatas: diuersis in locis, vnius Mensis spatio, quaternis barbaros afficis cladibus; terroreque Nominis Tui, in turpem, neque hoc sæculo visam, die noctuque, deficiente Sole ad faces, continuatam fugam, conicis tantum Orientis Imperatorem; Hostium Duces per latebras & saltus siluestres errare cogis; alios seminudos in Conspectum Tyranni, victoriarum Tuarum Nuntios emittis; Patriæ Tuæ iustis vindicijs, longè lateq; stratis Hostium Cadaueribus parentas gloriosus; Abactos Christiani populi Greges, de ore Leonis liberas; tot euinculatos Nobiles, libertati restituis; Parentes filijs, Filios Filiasque Parentibus, subditos suis reddis possessoribus; adeo vt pars illa afflictæ Poloniæ, Tuis tum victa beneficijs; positis quæ alieno forte instinctu alebat simultatibus, Te Statoris Iovis munia implentem, Te vitam & libertatem Ciuium Tuorum asserentem; Clypeum Populo Polono contra fatales ictus, proprio de pectore facientem, acclamauerit. Tanti beneficij non immemor Patria imò & inuidi lucidius nacti interuallum, illa virtuti Tuæ dederant testimonia; quæ legum volumini inserta, tam diu durabunt, quamdiu Nomen Polonũ & literas noscet Orbis.

Quid

Quid de Chocimenſi dicam victoria, qua nihil Illuſtrius viderat Orbis, nil terribilius formidauerat Barbarus; nil optabilius inter tot ærumnas acceperat Polonia, quàm dum Te non ſolum hoſtium, ſed & Elementorum contra pugnantium; fami, penuriæ montibus inperuijs, aſſociatorum: ſpectauerat domitorem. an tamen hæc maior in Martiali, quam Electorali fuerat Campo? ibi hoſtium munitiones: hic Ciuium viſus es expugnare animos: Ibi triginta prope millia veterani, non Aſiatica de turba, ſed Europeo de milite lecti Exercitus, Tuæ ceſſere fortitudini: Ibi non vallorum munimenta, non fluminis obiectus, non robora virorum, Tuum ſuſtinuere Martem. Hic Electorali in acie, incruenta violentia, æſtimatione Nominis Tui, tam glorioſa liberæ Electionis, de liberis populis retuliſti Trophæa? Hæc eſt illa dies, quæ poſt fata MICHAELIS Regis prima; Lunarem Throni Sarmatici Ecclypſim, Solis gloriæ Tuæ penſauit exortu. Hæc eſt illa Dextera Domini, cuius Tu veneratus es virtutem, nos digitum ſenſimus, qui Te Electori monſtrauit populo. Hæc victoria; quæ vni ex primis legum Patriæ Cuſtodibus fatidicam ad Te expreſſit literam, quâ ſe Tibi Mutianum declarauit fore: ſi tu Veſpaſianus eſſe velles.

Atq; hæc erant fortitudinis Tuæ bellicæ documenta, quæ Orbis in Te æſtimabat Chriſtianus, metuebat hoſtis; venerabatur Ciuis; alacris ad prælia ſequebatur miles; qui non niſi Lauros & Trophæa inde ſe relaturum ſperabat, Nomen vbi Tuum refulſerat. Quid ab extra ſimile ſperare potuimus, niſi quod ſibi ignotum Populum, Nobis ignoti ambirent Principes. Quibus prima cum moribus, inſtitutis noſtris, quam cum Hoſtibus lucta. Noſcendis Nobis illud impendiſſent tempus, quod iuuandis debebatur. Plura de nobis integro iam triennio incubus, ſciuiſſet Hoſtis, quam nouiter Electus Princeps. Tibi è contra Status, Forma, Leges, Ciues, bona malaq; Patriæ nota; Signa, Milites,

Virtus, Nomina & Cognomina notissima; nec Hostes eorumque Vires & potentia, signa itidem nec Duces ignoti: vtraque & Tu illos, & ipsi Te probarunt. Magnum Tui inter Turcas Nomen; Magna inter Tartarorum Principes æstimatio; cum quibus & hostilia, & socialia toties contulisti arma; non ignota belligerendi ratio, in quâ non ab aliena informatione, bellica formares consilia, sed à propria experientia Tibi & Patriæ consulturus. Tibi denique Rebellium Cosacorum antesignanus, vitæ quondam suæ Conseruatori benefico, tantum fiduciæ monstrare videbatur; vt non per alium, nisi per Te Regi & Reipuplicæ suas solebat deferre querimonias. Quæ omnia in simul sumpta, quanta publico bono pollicebantur commoda!

Cui fidentius se suaq; committeret Respublica, quam Tibi, cui innati in se affectus tot experimenta. Cui felicis regiminis in amplissimis facultatibus firma euictio: in succrescente in spem publicam prole, tot beneuolentiæ obsides, amorisque in publicum pignora. Cui non alia præter hanc communem nobiscum Patria; non successiones ab extra, non spes aliæ, nisi eæ quæ huius Patriæ continentur sinu. Vna Tibi & nobis salus, eodem in Solo sub eodem Sole & solio nobiscum nate; eodem habitu, lingua, more educate Princeps; hæc Tibi nobiscum communia; at quanta sunt quæ supra nos, solus possides, quibus exoticis videbaris præstare Candidatis?

In ea natus eras Domo; quæ nunquam Hereticæ prauitatis fuerat labefactata aflatu. Orthodoxam à Maioribus intaminatè in Te conseruasti Religionem; quæ Parentem Tuum & Teipsum tot benedictionibus cæli, in oculis nostris indies cumulabat. Eo progenitus eras sanguine, qui per Senatum, Ordinemque Equestrem longè & latè adeo diffusus; vt tota ferme Polonia in Tua videbatur eminere dignitate: eo promptius Tibi, si eligereris, obtemperatura; quod ipsa sibi Imperatura erat; quia in Te, velut in Compendio se comprehensam cernebat.

Soli-

Solicitabat pro Te Populi Electoris pectora, Pietas illa Tua, quâ in Deum vitæ, omniſque boni Datorem munificum, Conſeruatorem benificum ferebaris. Tantuſq; propagandi Cultus Diuini inter familiares, ſubditoſque Tuos, Tibi inerat zelus; vt linguas blaſphemas; in Sacra, Sarcaſmata iacientes; vt notorias impietates, à latere à conuerſatione à Tuo excluderes conuictu. Tuus non erat intimus, quem coniunctum Deo non videras. Eiuſdem pietatis documentum erat, memoranda illa Jurium Spiritualium veneratio, vt malueris Teipſum potius diſtribuendorum Hibernorum exuere authoritate,quam ea Anteceſſorū Tuorum ſequi exempla; quæ frigeſcentem in illis cum gelidis rigoribus toties monſtrabant pietatem, quoties Sortem Domini iniquè inter equos diuiſam, ad beſtias vngulis earundem conterendam, quot annis damnare conſueuerat: Eiuſdem pietatis radius in turbido, Electionis Regis MICHAELIS, Campo comparuit; dum contra Sacrorum Præſides tantam impietas temulenta, excitauit tempeſtatem; quantam necdum Orbis Polonus viderat. Excanduerat tum illa Sclopetarijs grandinibus: vltraq; progreſſa, Sacrarium illud libertatis innocuo funeſtaſſet ſanguine; niſi manus Tua, Sacrorum defenſioni promptiſsima; Capulo Enſis Tui applicata, commotos ſedaſſet turbines! Quæ pietas quam grata fuerit cælo vel inde pateat; quod continuæ poſthac & dexteram & ferrum Tuum Coronauerint Laureæ; eaq; Tibi iam tum ominabantur vota noſtra præmia; quibus nota Auſtriacorum Principum, in Sacerdotes pietas, tot ſæculis coronatur. Miſſa facio tot Chriſtianæ charitatis opera, vnicum adhuc Orbi pateat; quod dum victrici Militum Tuorum Enſi, imbelles Hoſtilium infantum turmas ſubduceres conſeruandas: Non ſufficiebat eis vitam dediſſe, niſi & alimenta tanta tribuiſſes ſolicitudine; vt Cognatum Tibi Sanguinem, illorum præficeres

 curæ.

curæ. Deniq; non soli Electori populo, sed Vrbi & Orbi eo clarius Tua innotuit pietas, quo liberius Tuarum literarum, post Victoriam Chocimensem scriptarum, profitebaris tenore; DEXTERÆ DEI VIRTVTEM; Dominoq; Exercituum illius Diei, Magnalia, non Tuæ adscribebas fortitudini. Ideoq; vexillum illud, Lunis Ottomanicis clarum, Machometana Superstitione fartum, Imperij Turcici decus; quod inter prima recensuisti Trophæa; Christi Vicario; Clementis Decimi, Plantis, Pientissimorum Principum more, Homagialem Summo armorum Imperatori testaturus venerationem, submisisti.

Trahebat, imò rapiebat vi Magnetica omnium affectus, illa animi Tui moderatio; qua ipsos quondam supergressus Camillos, hæroica hac virtute Te maximum Sæculisq; memorandum Reipublicæ probasti Ciuem. Tot tantisq; Principibus aduersa, Tuis nec dum fauens meritis, sors Electionis; ceciderat super Michaelem. Erant, qui eo illico momento, Te tantorum Nominum, Tuæq; Dignitatis suscitabant vindicem; erant qui fatorum vim dextera Tua suadebant vincendam: cedes & funera potius spargenda, quàm illa rerum tolleranda facies? At mens Tua cælo propior quam clarioribus superi destinarant ante sceptra victorijs, hisce superior Nubibus; placido tranquilloq; vultu, illam spectabat vicissitudinem! Vinctas cælo dedisti manus; Patriæ Tuæ condescendisti Libertati; pro munere Tuo denuntiasti, Electum talem, qualem merita nostra desuper accepere.

Coronationi eius non minus præsentia, quam fide & officio adstitisti; Facile alienam tolerasti fortunam; qui propria eras contentus virtute; dumq; alter alijs, Tu ipse Rex Tibi eras. Tanto augustior, quanto facilius est populis quam sibi Jmperare.

Nec hic eorum finis quæ plusquam septuplo probatam animi Tui Moderationem exhibebant. Aderat illud tempus, quo & Legum Patriæ integritati, velut

Primus

Primus Regni Minister, & securitati eiusdem velut Supremus bellorum Dux prouidere tenebaris. Monstrabas liberè, quantum Princeps Legibus Patriæ, quantum saluti tot populorum, quorum tutelam cum Regno sumpserat, tum debebat, cum tanta belli moles ab oriente, Terris imminebat Polonis.

Et hæc, non alia, erant, conquisitorum in Te odiorum motiua! hæc ratio cur euocata contra Barbaros Nobilitas; hosti ferias, Tibi immerita Tuisq; Conciuibus indixit certamina! Primus detestandi belli furor, ea corripuit, pro quibus Tuus steterat zelus: Leges scilicet & instituta Patriæ, tot sæculorum opera, vno velut sublata ictu, Rempublicam ab intra Ciuili licentia cadere; ab extra hostili manu, ruere; vno eodemq; acceperas tempore! Quid adhæc animi Tui inuicta moderatio? contrarias furori opposuisti artes; ille parcebat hosti, vt in propria sæuiret viscera; Tu iustam indignationem Tuam, in hostes effundere maluisti; ne Ciues inundaret; Tuum credebas esse, tum fortiter agere, cum perperām de Te loquerentur; Factis refutare verba; victorijs, conuicia vincere: effrontiq; calumniæ, quæ suo non valuit, hostili verecundiam incutere sanguine. Pluribus tum afflictus prælijs hostis, tot ad propallandam innocentiam Tuam aperuit ora; quot accepit vulnera. Turcarum Imperator victoriarum Tuarum famâ Patrijs eiectus limitibus. Ipsa confessus fuga, **non potuisse se diutius in ea hostem agere Patria in qua Tu optimum gerebas Ciuem.** Vbi vero victricia Domum conuertisti signa: tot ora timore expalluerunt, quot conuicijs contra Te iaciendis incanduerant. Quot funera tum, quot mala vidisset Patria, si animi Tui moderatio, Syllis Marijsque vindictam relinquere, non censuisset! si memoria Tua, aut iniuriarum tenax fuisset; aut talionem expetijsset! Hoc contentus eras, quod tot Juramentis, Sacramen-

mentum conseruandæ Patriæ, manutenendorum legum & Statutorum oppolueris. Cæterum nemini exporrectum vultum; humanißimam manum lubtrahere voluisti; monstrasti Celsitudinem animi Tui inter tot tela illæsam permansisse; nec Tibi odiorum cum Ciuibus esse certamen. Illa solum grata victoria; quæ non vulnera, non cicatrices, post prælia linquit: plus dicam, multos vidimus Vatinianis odijs, Giganteo ausu contra Te insurrexisse; tamen non fulmina, sed beneficia retulisse! Hanc verè Regiam in Te venerabundis virtutem, Thronoq; Polono dignam iudicantibus, Electoribus Nostris; ecce alia adest.

Iustitia. Cuius si Ortum quæremus? de cælo in Terram aspexit; si Munus? Regiarum Sedium Assistricem; si opera? Regnorum & Imperiorum Fundatricem comperiemus. Hanc Tu Domus Tuæ indigetem colere Dæam assueuisti, Princeps Iustißime. Hæc inter Te & Deum; inter Te & Patriam; inter Te & Amicos: primum occupabat locum. Constantemq; Tibi, & perpetuam, inspirabat voluntatem, ius suum cuiq; tribuendi. Eius lance Librabas, quid cuiq; horum deberes; Hinc est, vt ij quibus Tecum res erat; non per Tribunalia; non per forenses strepitus; non per Palatia & Consistoria, quærebant Iustitiam; quam Tuæ Domus nouerant Inquilinam. Hæc in conscientia Tua, aperto Areopago, sine vllo in Te ipsum fauore, Te Tuosque iudicabat. Adeo vt in ea fortuna; in tanta Municipiorum Tuorum amplitudine; mirum erat, raroq; alibi visum; quod Te non vicini molestum inuasorem; non contrahentes, iniquum expulsorem; non subditi grauem Dominum; non Domestici incommodum sensere hærum; Adeo intra limites recti; Te semper gradientem vidimus; vt nullos Tibi iudicia valuerint præfigere terminos; nullum Te reum vidit Tribunal. Non Citatio Tua subijt penetralia; non Legis pænalitas inter Tuos reperta pænates; non infamatorum aut Bannitorum classem, Tuo ad auxisti nomine.

Iam

Iam verò si ad Suprema Tua in Aula & Castris conuertimur Iudicia; nemo est, qui ea expeteret esse subalterna: Iudex eras Populi Poloni; siue togatus, siue sagatus consisteret; Nomen Tibi deerat Regis; cum Regalia, quia Suprema; exerceres Iudicia: adstitit à dextris Tuis REGINA VIRTVTVM IVSTITIA, Teq; pridem in Statera Iudicij Sui libratum; tamdiu minus habere, quàm merebaris inuenit; donec Polonia; Te suum acclamaret Regem.

In eum modum dum Tuorum Tibi meritorum suffragantur decora; Contentiosi Externorum concursus; tantum promotioni Tuæ superaddunt momenti; quantum detrahunt suæ. Præter intentionem Tibi magis, quam sibi proficui. Magnifica quæ iactabant promissa, adeò mutuis refutationibus extenuarunt; vt quæ pro veris habebant, Problemata iam erant. Terrebat insuper Electorem Populum anteactorum recordatio; dum Transmaria quæsitis cum Principibus; & promissæ non accessere, & antea acquisitæ decessere Prouinciæ; dum Respublica Regum Suorum Iura, tamdiu proprio discrimine tutari cogeretur; quamdiu Regnatrix supererat Domus. Similia cum Externis nobis inferri videbantur pericula: dum alibi contracta, apud nos deponenda, Candidatos Regni sequebantur odia. Pertæsa malorum Polonia, eorum Principum fortunæ metuebat complicitatē; qui à tot annis eius auersum eius sentiebant vultum. In alijs nimium potentem Europeaq; per Regna & Principatus diffusam Familiam; in qua velut in Oceano flumina, libertas Electionis nostræ; continuandis Successionibus peritura credebatur. Tot tantorum Principum, commendationes, Officia, iustum inferebant metum ijs populis; qui suspectant in Maiestate, Potentiam; quam non suam esse cognoscunt; Ne fortè quorum officio, studio & Consilio solium se conscendisse fatetur, eorundem ope se in eo conseruaturam præsumat.

Neque illud potens erat illicium, quod promissos ia-

ctabat milliones; Magnum exhaustis rebus nostris Subsidium! At quam incerta ea fuerint, vel ex eo patere poterat; quod aut nulli, aut ij monstrabantur fideiussores, qui de nullo minus, quam de ea cogitare confessi sunt obligatione. Probabilius erat, internecina in Christianitate bella, illud nummis fecisse pretium, quod antea vitæ & sanguinis erat. Credibilius nullam ab ijs numerandam pecuniam, quibus Elector Populus quod daret vendibile; non habebat. Tandem rerum Magistra docuit experientia; teste historia, nihil vnquam ab ijs post Electionem numerasse, Rempublicam; à quibus ingentia promissa, ante Electionem recensebat. Hic stylus erat loquendi, nomine Candidatorum, perorantium Oratorum: non modus agendi Regnantium. Respublica interim sumptuosis se Legationibus ad conducendos ab extra Principes toties extenuare visa; illis grauabatur impendijs; quæ à Finibus Regni in conducendo faciebat Rege. Quid de priuatorum Ciuium dicam sumptibus? dum vnusquisq; INCOGNITO PRINCIPI, magnifica ad oculum specie, primam de se impresionem dare laborabat. Millionibus hæc omnia certiùs expendendis, quàm ab extra inferendis, constabant.

Sed minora hæc erant, longè maiora in ipsa eligendi Principis Externi electione occurrebant libertatis discrimina; Fatales Regnis diuisiones, Ciuilis sanguinis diluuia; nullis legibus nec precibus in eum modum vincenda ambitio; vt alter alteri cedere vellet; Omnia Iudice ferro decidenda, spectabantur. Et quamuis ad duos tantum redacta erat Candidatos Respublica; ij tamen sibi adeo ex directo erant oppositi; vt & Poloniam & Polares Orbis Christiani potentias inter se diuiserint. Si hìc arctus, ibi antarctus erat; vndiq; se arctandam iustè metuebat libertas. Neq; effugisset fatale illud Dyllema, si in exclusionem Tuam Princeps Auguste, sub nomine Principis Indigenæ, ab Extraneis expetitam; sibi, defuncto nuper Regi, Tuisq; iniuriosam virtutibus,

con-

consensisset. Si nobis Incola Princeps tam inuisus, quam exteris tum metuendas erat. Si potuissent eam Sanguinis Poloni, natiuæ virtutis, efficere apud nos nauseam.

Igitur prope auersis ab Externo Candidato animis; ad Indigenam Principem tacitè iam iam inclinantibus; quis aliud nisi Tua occurreret virtus? Tu ipsorum Candidatorum Rex, ante Electionem eras iudico? dum per Oratores Suos, Tibi nobisque passim profiterentur, non aliter se concurrere velle, nisi tum, si modestia Tua emerita recusaret acceptare Sceptra. Te Ciues maximum in Republica Ciuem; Te milites Summum Imperatorem prospectabant; Te etsi in æquali Republica natum, eo tamen per gradus honorum & Meritorum ascendisse altitudinis vidimus vniuersi; vt dum Tibi Respublica lectis ad latus Tuum ex Ordinibus Regni Commissarijs, belli paciśq; dederat arbitrium; nomen Solum Regium Electioni reseruare visa; cum Tibi rem munuśq; tribueret. Ita Tu solus sine contradictione, sine motu, sinè conuulsione Status, sine Externorum Principum offensa, eligi videbaris, qui omnium Consensu salutem Reipublicæ, manibus Tuis concreditam, tam gloriosis victorijs extulisti; tam fortiter conseruasti; vt nefas esse videbatur, hoc à Te repetere DEPOSITVM.

Nec dum tamen hæc in aperto erant; quæ de Te, quæ de Principibus Externis, Mente & animo Elector concipiebat populus; Magna Tibi, etsi non obligato, Magna Genti Nostræ erat viduatæ Principis cura; postque Patriæ salutem prima; eius nimirum Reginæ, quam tot Gratijs decoratam; tot Augustalis Domus Coronatam radijs; tam Throno Sarmatico associatam; quàm fatali diuortio dissociatam; suam velut pupillam respiciebat Respublica. Ideoq; eius in gratiam Coronationis Varsauiæ peragendæ, legem dispensauit: & opimos in amplis posessionibus assignauit prouentus: Post Regia vero fata, plusquam ducentis quinquaginta millibus florenorum, mensæ Regiæ demptis, ad interim prouidit; nilque intentatum reliquit, quo suum eidem Principi

testaretur affectum. Agebas tum eadem cum Principe prout Solita animi Tui dictabat moderatio; & tanti sanguinis exigebat cultus. Vnde quamuis iam non per sussuros, sed palam ad Aures Tuas delapsas Amicorum audires voces; qui Te Regem, expetebant. quamuis non ignorares publicas rationes; præuideresq; supra memoratas in Combinatione Externorum difficultates; attamen ne quid ex persona Tua deesset; ne Tuam Orbis desideraret æquanimitatem: in Neoburgicũ Principem, Tuâ, Amicorumque, transferre vota cõnstituisti: Laureatum Caput, merita & victorias Tuas, eidem submittere; in Te, humerosque Tuos ea, assumere onera; quibus portandis necdum matura par esse poterat ætas. Hæc omnia, non alio fine; nisi vt viduatæ Principis, eandem Tibi esse curam, quæ Patriæ erat; ne dicam maiorem ostenderes; dum etiam de rationibus Status, eius respectu demittere videreris. Tam Augustum Consilium Tuum, Primoribus Regni cunctisque Proceribus probatissimum; Reginali per Prima Regni nomina expositũ Maiestati; euidentiq; monstratum argumento; velle Rempublicam non minus Regem Throno; quam Regali Thoro Consortem, eligere; & Patriæ & Reginæ æqualem habere rationem. At res Tuas, potius nostras, ad potiora ducentibus Superis; factum est; vt postquam oblata non acceptari media, Rempublicam Externorum ambitu ad extrema impelli allidendam, Electori constiterit populo; eo velut iam solutus officio; inclinare illicò cæperat; vt Tv Tertivs Inter Dvos vertentem dirimeres litem; Regijque muneris gloria, probatam pensares modestiam.

Episc. Crac. & Vice Cancellar. Regni.

Hic fere omnium sensus erat; dum illa iam aderat dies; quæ liberos ad Suffragia vocabat populos; Illa imminebat hora, quæ fatorum arcana explicatura, & Numinis in rem Polonam monstratura erat voluntatem. Optabas Tu adhuc moras, non Tibi sed reflexioni illorum necessarias; quibus consultum iri cupiebas.

Verum

Verum ipsi sua præcipitantes fata, Decretorias iam iam tenuere horas.

Iam Sacrorum Principes; iam Palatini fasces, Currulibus dimissis; cum Equestri Ordine in genua prouoluti; cunctis adorandam potestatibus Maiestatem, supplici inuocabant prece. **Inspiraret Humanis cordibus quem Deum Terræ Polonæ dare velit,** Cui suas committeret vices. Mox velut accepto cælitùs, Spiramine Elector Populus, per CIRCVLOS digressus, votorum Suorum quærebat centrum.

Annulum, felicitatis publicæ Sponsorem, Palatinatus Russiæ primus tum inuenerat; Cuius Adamas, Tu eras Princeps Auguste, adeo Adamatus; ob continua eaque publica in illas Terras beneficia; vt Proceres illi, Palatini Sui vocem, quæ Te Regem nominauit; Castellani rationes, quibus in Electione Tua salutem populorum sitam dedemonstrauit, vnanimes secuti; te primi suum dixere Regem. Generosam in reliquis accendentes æmulationem; ita qui ante horam in animis & pectoribus Ciuium portabaris; iam felici partu, te in lucem prodeuntem, spectator vidit Orbis. Ibas per aures hominum, CIRCVLIS illis Palatinatuum, velut Triumphalium Curruum rotis ad Augustam prouehebaris fortunam. SILVIT à FACIE TVA TERRA Dignitatis Tuæ victa argumentis; vbi Te in Campo Electorali, tot meritis decoratum; tot commodis in publicum comitatum; perpetuâ felicitate stipatum conspexerat. *Iablonowski Fredra.*

Nemo præsumebat eos Tibi disputare affectus; quos Jure possederas. Nemo virtuti Tuæ obstrepere; quam sine fuco gerebas; nemo natiuam Purpuram cum Imperatorio Tuo, Sanguineque Hostili purpurato, conferre Paludamento; Nemo Tecum congredi ausus deq; Suffragijs certare; quem tot victorijs, tot Laureis cernebat insignitum. Tum patuit Regem Poloniæ alium esse non potuisse; nisi eum, qui te tantum Ciuem, meritis & gloria superasset; supra te esse debebat, qui Polonis Imperare volebat.

Ijs iam Electio Tua procedebat Passibus; vt eadem die concludi potuerit, si aut Tu deficiente iam die, in obscuro sequi fortunam voluisses: aut Tuæ ex mora metueres causæ; aut angusto tempore stringere libertatem; aut aliam acceptare Electionem, præter eam, quæ legibus conformis sine contradictione datū: non ereptū aut extortum, Principes Suos voluit portare Diadema.

Erant qui sero vespere, Secessionem non nullorum, Magni Ducatus Lituaniæ Procerum, Electorali è Campo, pro alio, quam Libertatis experimento, accipientes: & Concordiæ & vnioni minabantur. At postera errorē confutauit dies; vbi Aquila Polona ita suum temperauerat volatum; ne MAGNI DVCATVS Sessorem, deserere videretur. Comparuit secunda Luce, tanto Illustrior, quanto in Te, SPE ET EXPECTATIONE, INVIDORVM, pronior: Is etenim tuus non esse non poterat; qui Tuis sub auspicijs, Chocimensis particeps & victoriæ & Gloriæ factus; qui Pag. Ore Supremi Exercitus Lituanici Ducis, Tibi absenti in facie Reipublicæ ea dederat Elogia: quibus Tibi Chocimensem victoriam Orbem Christianū debere confessus; & Te antiquis bellatoribus parem; Sui Sæculi maiorē demonstrauit. Igitur quomodo in Tua merita obliquus ille Ducatus esse poterat; qui nuper in Conuocatione Procerum tantus eorum exstitit Encomiastes? Quod ipsum Pag. Vilnensis Præsul, tā prolixe nomine Gentis Suæ Pathetico sermone exponens; factis verba conclusit; Tibiq; corda, suffragia Gentis suæ patere diserte nec hæsitanter protulit.

Tu interim Princeps moderatissime, ita Electoris populi videbaris acceptare affectus; vt eos tanto libentius in alium transferri, si quis Te potior reperiretur, boni publici causa permittere videreris; quanto liberalius Tuis tum deferrebantur meritis. Non animo anxius, & impatiens, triduanam illam ferebas moram; ea mentis Tuæ in vultu enitebat modestia in admittendo Imperio; quæ in ambiendo erat. Gratiorem libertas Gentis Nostræ Electorali in Theatro à Seculo non viderat Scenam; dum non inter armorum strepitus, non in TVR-

BINE,

BINE, NON IN IGNE DOMINVM; sed tranquilla, pacata, Electione; Te assumebat Principem. Cernebatur tanta sine confusione multitudo; liberi sine varietate sensus omnium in Te, concordia; non mora tanti temporis corrupta, non expeditis per occulta, vitiata artibus.

O quam gratum tanti actus Epilogum, Cygnea, Magni Pro-Primatis Trzebicij, voce, acccepimus! Ter ille factis ad Electorem populum interrogationibus, postquam concordes Ordinum, Gentium, Sarmaticarum in Te viderat animos. Tandem quod FELIX FAVSTVM FORTVNATVMq; POPVLO POLONO erat. TE IOANNEM TERTIVM, DEI GRATIA Sarmaticarum Gentium NOMINAVIT PRINCIPEM. Præsulis ab ore acceptum Nomen Tuum, gratiæ Cælestis Omen; feliciq; proclamâ Lubomirsciani fluminis impetu, Ciuium in aures illapsum: Połubinianæ Aquilæ munere, sublimes in auras delatum: fulminis ad instar, ad hostium vsque penetrauit notitiam.

Hæc erat illa dies QVAM FECIT DOMINVS DOMINANTIVM, Populo Polono Salutarem: Legibus & institutis Patriæ consonam; libertatibus auitis â seculis exoptandam; quæ & Externorum temperauit affectus, & FRATRVM COMPOSVIT MINAS. Prima hostia laudis BONORVM PRINCIPVM LARGITORI, REGI REGVM ab Electo Principe Electoreque debebatur Populo. Hoc, Homagialis in Deum subiectionis Tuæ persoluturus debitum: Prima Electoris Populi cinctus Corona, inter tot Illustres viros, inter Externorum Principum Legatos eminens; inter festiuos ignes, tormentorum explosiones, applaudentium voces, Basilicam sub Titulo Diui Ioannis, Numini Sacram; ingressus: coram Sacris Altaribus in genua prouolutus: corde & animo Ambrosianum audiens Hymnum; Regni Tui Primitias, â Diuino incipiebas cultu: eiusque Supremæ Potestatis veneratione, cuius in Terris nunc vices geris. *Varsauiensē.*

Iam per totam Rex eras Poloniam; iam Principum Oratores, Principalium suorum Nomine, virtuti Tuæ in præmium cessisse Regnum, Tibi gratulari visi;

iam fama promptiquē calami uniuerſo Regnum Tuum denuntiabant Orbi: Tu ad huc dubius ancepſq; eras; quid Patriæ Tibiq; magis expedire cenſeres; Ciue Te, illa Mater; an Patre felicior filia, futura; altiori ſcrutabaris indagine? librabas in bilance iudicij viriumque Tuarum, GRAVE ILLVD VBIQ; CVNCTA REGENDI ONVS! at libera in Gente, hoſtibus in medijs, interque pericula, fatiſcente tot ab annis Imperio: longe grauiſſimum. Ne de numero eorum eſſes, qui vbi tollere audent, quod non explorarunt pondus: aut faſtiditum deponunt onus; aut eodem ad tumulum vſque depreſſi ſuccumbunt. Intra triduum Elector populus, ſua & cæpit, & expediuit vota; vt Te Regem eligeret. Duplicaſti deliberatione Tua Dies; quam vt ex voto Populorum expedires; QVANTVM CERTAMEN ERAT CVM TVA MODESTIA, QVAM TARDE VICIMVS! quod ipſum iam pro argumento erat, Te nobis non Tibi Regem fore; qui ſi non cogitaſſes, quomodo Te nobis dares; quomodo Te Tibi tolleres? promptus vtique cum alijs ad acceptandum Regnum tum fuiſſes; ſi Populum pro Te, non Te pro Populo, cælitus datum & conceſſum fuiſſes arbitratus.

Tandem illud, Tibi præſtandū ſupererat Iuramentū, quo, Deo, Cæloq; teſte, libertatem Gentis, inſtituta Patriæ, Priuilegia & indemnitátes Perſonis, Officijs, Magiſtratibus ſeruientes; Principes ſe conſeruaturos Electori ſpondent Populo. Secutus es hoc in paſſu, Princeps Auguſtiſſime, longa Anteceſſorum Tuorum exempla: Iuraſti deliberata, conſtantiq; mente, ante Altaria eius Numinis, cuius ſuper Te inuocabas nomen: dabas Electori Populo quæ petebat; accipiebas ab eo quæ merebaris. ELECTIONIS TVÆ DIPLOMA; vbi meritorū Tuorū ſeries, ad compendiū redactas; legit præſens ætas, legetque poſteritas. Electoriſque Populi immitandā ſeculis, proponet Prudentiam. Cui poſt prouidentiam Diuinam, non CASVI NON FATO, NON FORTVNÆ, Principis ex meritis, ex ſalute Reipublicæ; ex temporū neceſſitate aſſumpti, IOANNIS Tertij debetur Electio.

CO-

CORONA
EX
IVSTITIA.

ILlæ quas breues & infausti Fortunæ fauores facili ex iugo lectas; sine lucta & certamine largiuntur, Coronæ: non aliud Dignitatis possident; nisi quod antiquis Regnorum Gazis à tot seculis asseruatæ; æquè ignauos vt hæroicos, quondam presserint vertices. Hos Circulos, volubili insistens globo, suæ assueta rotæ, SINISTRA; continuò versat, vertitque: Et velut inconstantis fidei Sponsores, CONNVBA LEVITAS, NON DIVINITAS, vel dormientibus, vel otiantibus porrigit PROCIS.

Hæc sunt illa à pedibus ad Caput translata vincula; quæ dū Coronata, an compeditata FORTVNÆ monstrant mancipia: Non tam cingunt, quam stringunt. Populorum tempora. Ita Coronant, vt mox in VITTAS transeant; humanæque vicissitudinis litandas, redimiunt victimas. Earum etsi pretiosos videris lapides; durioris Sortis credito Indices: aut tot Sepulchrales numerato Tabulas; in quibus Adamantino stilo; Tragicas fatiscentis Imperij Cathastrophe; sculpit fatalitas. Hinc aureus ille pallor, pauor est; mox in præceps ruituri decoris: ad quod si vis abesset Externa, innatum disponit prouocatq; pondus. Adeo vt quæ ex facili veniunt, ea NVNQVAM PLACIDAM SCEPTRA QVIETEM, CERTVMq; SVI TENVERE DIEM. adeo non diuturni illi Theatrales, & Comici Principes, qui vbi modico tempore ingratam Populis luserint, Fabulam; mox è Scena moniti cedere, coguntur; NON SVISq; EXVVNTVR DECORIBVS.

Augustiores sunt illæ Coronæ, quas Augustis nectit verticibus cælo delapsum NUMEN, IVSTITIA. Quarum Periphæria, publicam populorum ambit felicitatem.

Centrum verò, solida ex virtute natam, attingit Immortalitatem: vnde quæ vulgo Regni vocamus Insignia, Symbola sunt; non decora: Originalium Coronarum, ænigmata; quæ Principe Metallo, Principales curas demonstrant; radiatâ verò Coronæ formâ, Soliq; æmulo colore indicant; ea Principes in Solio, quæ Deus in Sole, operari oportere.

Sic Regale Pomum, non gustui palatoque seruire: neque ludicræ vices obires pilæ; in manibus ad seria vocatis; sed eum repræsentare Orbem; qui Regis Athlantis ferendus incumbit humeris. Solium tot gradibus in sublime euectum; non fastuosum esse, Exemptionis à commmuni Sorte fastigium: sed illam speculam vbi Vigiles Regum curæ, pro auertendis à populorum Salute excubant periculis.

Inde est vt eadem Iustitia, Principes Coronandos rigido sub militum titulo; Sanctæ Ecclesiæ præsentet; & Coronatoris ore eosdem præmonet; scirent se non ad thalamum quietis ascendere: sed ad locum Laboris Anxietatis Et Discriminis plenum. ideoq; non Ambra Mvscoq; odorifero; sed Athletarum Oleo ad noua inuictos vngi certamina. Quæ quanto maiora sunt, & non solum belli sudoribus; sed delicijs quoque; voluptatibus; imò pulcherrima Pacis Specie metuenda; tanto fortiores illas opus est, existere mentes; quæ debitam formidolosis de hostibus ni referant victoriam; succumbunt; Regnorum Suorum Comitatæ, cumulatæ an tumulatæ casibus!

Prouidum itaq; Numen; non alia ad Coronandum acceptat Capita: quam ea quæ prius casside ad Coronam aptata viderat: negat manibus aureum illud Sceptri Regalis decus; nisi prius negotiosum in illis deprehenderit ferrum. Nec Thronum ascendere permittit; nisi ex Equo descendentibus. Nec augustũ illud NOS Nomini præfigere; nisi antea Singularitatem Ego communi Patriæ bono & populis, Hæroica litatam cognouerit Extasi.

Iam

Iam Rex Electus Princeps Auguste eras; imò & Coronatus; ea scilicet Corona quæ prætiosa vnione Ciuium erat conspicua. Jam & secundam ab Orbe Christiano accipiebas; dum is & Electoris populi probaret Electionem, & Tuam Tibi gratulabatur prouectionem. Legeras CLEMENTIS DECIMI PONTIFICIS MAXIMI propria manu scriptas Benedictiones; Audiueras Romanorum Imperatoris; Christianissimi Regis; Regis Regnique Sueciæ; Magni in Septentrione Ducis; tum Electoris Brandeburgici Oratorum Ore; & literarum tenore, declaratas propensiones: quibus & ALBO REGVM, & animis Coronatorum inserebaris Principum. Imo nec Barbari, Hostesque ipsi, hunc æstimationi Tuæ denegarunt Cultum: dum Tauricani Principes, certatim Te suis excollerent officijs: sua respectu Tui, Reipublicæ (quod & effectus probauit) promittentes studia. Hæc itaq; tanto Illustrior erat Corona; quanto etiam summis hæroibus rarior; **Magnum inter hostes mereri Nomen.**

Hisce iam in Electorali Campo redimitus eras Coronis; dum bifariam inter se diuisa diademata: Tuum ambirent inuitarentq; Caput. Vnum temporalis; aliud Immortalis, decus Imperij. Primum compendiosam, commodam, Antecessoribus Tuis tritam; Varsauiâ Cracouiam pandebat viam. Rerum Tuarum interesse monstrabat, vt quantotius illam Capiti Tuo sineres imponi Coronam; quæ & Plenitudinem Potestatis, & Regiæ Domus securitatem ferebat; & Nomen Tuum volumini legum; Cathalogo Regum inserere; numerosas parare Clientelas: Tandem illud curarum promittebat leuamen; quod declarato Supremo belli Duce, Tibi oriri videbatur. Summebat boni publici colores; Tribunalia, Iustitiæ, aperienda; neruum belli in Comitijs decernendum: funestam faciem IVSTITII tollendam suadebat; vim Legis habentem, Electionis Constitutionem, allegabat. Omnia Tibi facilius feliciusque itura

 asse.

asserebat quidem; probare tamen difficulter poterat, Præsente Reclamante Necessitate!

Secundum Diadema; etsi non ad solita; licet præteritis dissona; ad ea tamen quæ præsentibus temporibus salutifera, futuris gloriosa erant; Te ex Magnis, ad maiora Electe, in maximis Princeps Coronande Trophæis; auocabat.

Iam Danubium superauerat, ex partibus mundi coadunatis Gentibus, stipatus; pari debellando Orbi accinctus potentia; Tauricanis Equitatibus formidandus: nostra, Nominisque Nostri, spirans excidia Tyrannus. Cùm accepta Electionis Tuæ fama; velut Herculeis Columnis, Plus & Ultra progredi prohibetur; & ingentibus interceptus curis; dubius hæret: an Lunis Suis fatalem; victricem Tuam Regalibusque auctam Auspicijs, lacesseret fortunam? an tot partis, per secula Trophæis, tumentem Portam; periculoso cum Tua Maiestate conferret experimento; vtri vestrum Mars eiusque Alea fauentior? Placuit Tuos per Legatum Crimensem obseruare motus: Ferro ne accingendus, an auro cingendus esses? Thronum an Equum conscenderes, recentesque in Campis successus, intra mænia senescere permitteres? Se iam Campi Ornisq; Poloni Dominum fore; si Tu Vrbem peteres; & nisi obuiam ires; Te cedere crediturum; Iam signa suis nudanda militibus, Ducibus & Ductoribus destituenda certò credebat Castra, iam Te Ciuesq; Tuos sumptibus exhauriendos, imo si forte quis eorum, voto suo, exciderit, exasperandos promittebat; Si Tu Princeps Auguste, non de Castris, sed de Coronatione cogitare tum volueris. Quæ tantum hosti optanda erat, quantum Tibi metuenda Cui tantum iam Tua tum placebat coronatio, quantum paulo ante displicebat Electio.

At Tu Spiritu Principali, in eo fastigio Regiæ fortunæ, desuper confirmatus; citiùs quam cæteri, penetratis Barbarorum Consilijs: in plenissimo illo Senatus

Consilio, auro Cedroque dignissima voce; declarasti. Impendente, tot fulminibus, grandinibus & Procellis grauida, Reipublicæ tempestate; non posse Te per Amorem & integritatem Patriæ; Coronæ, Tua exhibere, tempora; quæ instantia ad Cassidem citabant pericula, Tibi inglorium, Patriæ nostræ fatalem, etsi Coronatione notatum arbitrabaris Ivlivm; quem hosti, acies suas per viscera Regni explicanti, Augustus: Poloniæ vero intra mænia clausæ, angustus sequebatur mensis; funesta Christianorum Capitum temerandus messe!

Igitur arma, virumq; canere Tibi, per Summam nec euitabilem necessitatem visum: eam quam Ottomanica Astra, Regibvs Monstrant, ingredi Viam: ex Electorali ad Martialem, Hæroica Methaphorâ, transire Campum, Ea placuit Coronatio, quæ solaribus radijs de Die; Stellis de noctè; aperto sub cælo, Tuum cingeret verticem; quem Pro Deo, Fide, & Patria, pro Christianitate vniuersa in aciem ferebas.

Hanc Consilij Tui declarationem; vbi per Tartaricū Tyrannvs accepit emissarium, post duorum Mensium in vno loco subsistentiam; post irreparibile rebus suis temporis damnum: immensam sumptuum iacturam: spe Coronationis Tuæ frustratus; Vbi Te Bellatorem Equum, Castra, & prælia, petentem intellexit; vbi Tartaros acceptas ante biennium Clades, Turcas ante Annum à Te illatas recensere strages; nomenque pauere Tuum, intellexit; missa Metv Reventiali Polonia; alienam velut vlturus iniuriam inuadit Roxolaniam: Eo furorem suum effudit, quem Regno Tuo intulisset: si tu magis tum, de aurea quam de Servandorvm Civivm Corona sollicitus fuisses.

Ita nunquam felicius primus Coronationis Tuæ terminus, translabi visus: quam dum eum auertendo à Ceruicibus nostris ictui; impendebas. Tollerabiles diuturnioris Ivstitii, molestiæ factæ; quas sat superq; Populorum seruata salus, compensare videbatur.

Alio iam conuerso bello; non otiosus; etsi, Rebellium Christianorum tamen sanguinis, volebas esse, spectator. Paras vindicias: Coadunas aureo chamo, Exercitus, vtriusq; gentis; quibus proprio de ærario, antequam contra hostem moueres, vltra integrum numeras millionem. Non contentus, VITAM & SANGVINEM in pericula, in fata nostra ferre, nisi publicæ tum egestati, opes fortunasq; oferres; tanto gloriosius, quanto modestius tum silebas, quæ præstare volebas; dum aliena HYPERBOLE, multos, plenis buccis, iactaret milliones. Coadunas inquam Exercitus; sed ea bellicæ PRVDENTIæ TEMPERANTIA; quæ CELERES frænabat MOTVS; ne forte tantus hostis; se longè Superiorem viribus conspicatus; infesta iterum in Patriam conuerteret signa. Itaque illo Magnanimum ardorem Tuum, & Generosum militum Sanguinem, cohibebas respectu vt hostem non nisi Vkrainæ incubum, aggredereris; vt pote eum; qui tot Fortalitijs Oppugnatis, debilior; tot Spatijs distractior factus; Tuo facilius pateret ictui. Maxime vero si vicinus eidem periculo MONARCHA vlteriores abrumperet moras: ab alia parte inuasurus eum; quem Tu ab vna tam animosè petebas DIVINVM CONSILIVM Tuum proculdubio successisset; nisi deprehensis, Fera hæc, illis quas ARS & MARS Tuus ipsi tendebat Cassibus; Cladem suam, turpi denuo redemisset fuga; longaque Periphrasi, per inuia & deuia vsus; omissis quos strauerat Pontibus; Danubium retrogrado cursu petijsset. Te magnanime Princeps, velut fortunæ Suæ Scopulum; fortitudinis Ottomanicæ discrimen: de longe euitasset. Eamq; vltro Tibi concesisset victoriam; quæ tanto gloriosior est, quanto difficilius animo hostē quā viribus deicere. Ita ille cui Tu Coronationis prætextu Campo cedere nolueras, tandem & obuiam ieras: En iam amplissima Prouincia, Tuis relicta Victorijs; id solum confusus cauebat Tyranus, ne Tecum congredi cogeretur.

Sub-

Submotis proinde Campestribus prælijs & victorijs; eas quæris; quas clausus intra mænia opponebat Mauors. Barrium penè in conspectu erat: robore Turcarum; Equitatu Tartarico, excursionibus continuandis destinato; arte & natura Fortalitium munitissimum. Hoc forti aggressus dextera, oppugnasti: intra aliquot expugnasti Dies: Hostem desperatis rebus, ad deditionem compulisti. Non audentibus, illis Crimeæ Principibus, imperatam opem ferre; quibus formido Tui maior; Imperio Ottomanico inerat. Cessit tum fortitudini Tuæ totius Clauis Vkrainæ; Magnum Cameneco Subsidium; hostilis Communicationis Linea.

Quæ omnia quanto gloriosiùs acta censebantur; tanto ardentius, exacto iam authumno, inhorrescente Imbribus, & Pruinis Cælo; ad Hiberna, miles anhælus statiua: manumisśionem petere à Te videbatur. vt scilicet abacti à Patria belli; exacti hostis; expugnati eiusmodi Fortalitij; gloria contentus: Triumphali redimitus Lavrea; reductis Exercitibus, INAVGVRATIONIS Tuæ denuo assumeres Curas: saltem hac vice Tui ipsius Memor, hactenus Tui Oblite Princeps.

At Tu ad eā quâ se Tibi Patria præsentabat conuersus, Speciem; videbas eam continuatis decem per Menses, exhaustam statiuis; peneque exanimem respirium à Te supplici petere Vvltv: Cernebas expensos & expendendos eius milliones, maiorem ab Operarijs, Belli exigere Operam. Aduertebas, tot Tibi optimè gerendarum rerum, patere occasiones: Optimeque bellorum momenta, & hostilem libranti potentiam, apertè constabat; aut nullo; aut brumali tempore, eam oppugnandam esse hostilitatem; quæ vt rigidioris Climatis impatiens iniuriæ; ita reuertente æstate, tot Centenis stipata milibus formidanda. Inuitare videbatur, Te calamitatis Suæ vindicem hactenus Sarmatico Imperio refraga, & belli vnica causa, Roxolania; quantoque magis crudelem Ottomanorum perpessa Tyrannidem

æstate; tanto facilius ad Paternam censebatur reditura Clementiam: Dummodo venires armatus; ab ea vt amatus recipiendus Princeps. Hæc ipsa occasio promittebat non leui argumento; Magni in Septentrione MONARCHÆ expetitam armorum Coniunctionē; si victricia circumferens arma, in recuperanda Vkraina compareres; cuius nuper fragoribus, ceu vicinis periculis, excitata illa censebatur potentia. Sed & ipse Rebellium Dux & Fax belli Dorossius; Turcarum & Tartarorum destitutus præsidio; facile in Tuam Potestatem reducendus videbatur; facile Turcas Vkrainæ possessione cadere; Rebelles eorum Clientelam eiurare. Ita recuperata illa Prouincia; inita cum Magno Duce armorum Societate; præcluso Tartaricis excursionibus itinere; hostilis Moldauia, ipseque Danubius: & commoda Exercitibus Tuis pandebat Statiua; & eam Tibi monstrabat GLORIAM; quam liberata ab onere Hibernorum Patria; reportaturus eras; & Ottomanicæ potentiæ, transitum Danubij per vndas negaturus.

Hæc vero omnia, dum ex salute Populorum Tuorum; ex Christianitatis vniuersæ BONO esse intelligebas; an non fortia tibi erant argumenta; vt Coronationis Tuæ protraheres terminum; vt prius Reipublicæ tempora, felicitate publica; quam Tua, Diademate adornares Regio. Spinea illa Tibi Regnoque Tuo non aurea fuisset Corona; si eius in gratiam, hostili possessioni relicta Vkraina: tot agendarum rerum dimisisses momenta! si miles denuo visceribus Patriæ infunderetur; in quibus integro fere anno comoratus; ægre se inde Tuis, idque iteratis Imperijs extrahi passus; absumtis alimentis, nil præter ipsa miseris mortalibus reliquit elementa. Quo facto, tot Piæ euertendæ fundationes: Ecclesiæ suis diminuendæ dotibus; Sacerdotes alimentis destituendi videbantur. Coloni in eum modum exhausti, & exangues; vt plures Campestri in Polonia hominum vmbras monstrare potuerimus; quam in Elisijs Poëtæ

Cam-

Campis. Erant qui miseria & egestate pressi; optabant mortem & non erat; His omnibus, & Reipublicæ saluti, vt Consuleres: Diuinū quia ab Assistrice Maiestatis Tuæ, Intelligentia inspiratum secutus consilium; duxisti milites Tuos, vbi bellorum incomoda soli sentirent hostes.

Nec miles Tuos, detrectabat, nutus; vbi ea subire suum Regem conspexisset; quæ sibi imperabantur; monstrabas ipsi continuandi eo tempore belli necessitatem; memorabas antiquorum Regum exempla; sed & recentia; vbi tot Christianos Exercitus, eodem tempore, stare in armis, aciebusque medio hieme decertare videbas. An vero solum Polonum, causis belli potiorem; duriori sub äere natum; similia, si non maiora pati non deceret? Dictis, Illicia addidisti; Princeps in Patriam, vitæ, Sanguinis, & opum liberalissime. Non parca manu, denuo fecisti numerare peculium; quod excitando ad fortia largiebaris militi. Tua Duces pro posse secuti facta.

Itaq; mouisti, Deo auspice, victricia Tua arma, Plvs & Vltra itura: cum pars Exercitus, Magni Ducatus, ab inchoato deuiaret itinere; victûs causatâ inopiâ. Quid ad hæc? constans animi Tui Magnitudo? reuocare Regia authoritate abeuntes satagebas: nec redeuntibus illis; Tu tamen residua stipatus militia; quo destinaras, intrepido progrederis passu. vidimus tum armorum numero, robore virorum, Castra Tua; non animum decrescentem; ille idemque diminuto Exercitu, qui integro eras.

Ibas; Flumina, Palludes, Terrarum tractus superans: vbiq; obuias habebas Ciuitates; vbique patentes virtuti Tuæ Arces; mænia & vrbes reperis; & quæ hostis insederat loca; vi, ferro, expugnas. Omnes Te illæ Terræ Barbarica prophanatæ feritate; fortunæ Suæ venerantur Reconciliatorem; plura vno Mense recipis aut extorques hosti; quam ille integra æstate; tantis occupauerat Exercitibus. Jta perpetua nec interrupta Feli-

citate armis Tuis KALNIKVM, BRACLAVIA, MOHILOVIA, RASKOVIA & sexaginta alia cessere Fortalitia, VRBES & CIVITATES.

Rerum Caput CZEHERINVM, cum eo Fax belli supererat Dorosius: Ijs quoque armati Regis trepidus aduentu; tot Commissorum in Orbem Christianum, criminum, VINDICIS; illud iam solum circumspectabat; quomodo victoris mereretur clementiam? Hinc Moschouitica; Illinc Tua Rex Inuicte metuens arma; & nisi Te tanto Equitatus robore destitutum, citius quam par erat accepisset; exindeque Moschouiticam tardius Societatem processuram, suspicatus fuisset; Braclauiæ eum supplicem Regias ante plantas conspexisses! Verum placuit adhuc Superis hanc vlteriori tempori reseruare gloriam; dum alterius, amplissimam, tota illa hieme Tibi subministraret occupata Vkraina materiam: vbi etsi minora destinatis Tuis, maiora tamen expectatione Orbis; Te ibi patrare audiuimus. In hoc vnice intentus eras; vt inter gelidos horridæ brumæ rigores, illis in Prouincijs; Imperij Tui accenderes amorem; quæ immani laceratæ Turcarum crudelitate; se Paterna Tua gaudebant foueri solicitudine. Quibus lassum, hostium, vitam reliquerat; ferrum: Tuum sustentabat aurum. Ærarium, Comeatibus comparandis; Præsidijs, conseruandis, impendisti; ne grauamine aliquo Clementæ Tuæ, illis in populis læderetur Fama Tuo illi velut Numinis lætabantur aspectu; tam faciles Portas Tuas accedentibus; quam liberalem arcam egentibus; cor, animumque vniuersis patuisse Tuum, eorum ore audiuimus, qui ex ipso loquebantur experimento!

Hinc est, vt quamuis tota contra Te sedibus suis Taurica Chesonæus mota; quamuis vicinæ, Cis & trans Danubium Prouinciæ Turcarum: contra Te excitæ; ductu Silistriensis Bassæ; pacificam Tuam Vkrainæ impeterent possessionem; attamen illa deliniti Populi clementia; ita Tuis fortiter adhæserant partibus, vt Turcæ

gemi-

geminatis affecti cladibus ; cæptis desisterent : Tartari verò pridem edocti, Tua in illis quid valeat FORTITVDO; ex oppugnatoribus Spectatores facti ; quorum ferè in oculis Principis Radźiuily Ductu, Tuis Princeps Fortunatissime, auspicijs ; Ciuitas & Arx Pauolociæ munitione, & Præsidio hostili validissima ; expugnata. Ita tum Tartarorum Chamus, & subalterni eius Principes ; quibus aliquando licebat, & magnos lacessere, profligareque Exercitus ; & Regias quandoque cum illis obsidere personas ; iam nunc velut obliti quid possint ; eum aggredi metuebant ; quem tantus nuper Orientis fugiebat Imperator.

Nec his solùm Fortitudo Tua exercebatur hostibus ; dum Exercitum per Statiua distributum, præsertim vero Equos, omni crudelior ferro stringeret fames : Hæc vniuersos præmebat pænuria ; quam etsi Regia liberalitas Paternaque propulsaret solicitudo ; plus tamen ad eam tollerandam valuit ; mens illa Tua nullis Succumbens ærumnis ; erecta & explicata se exerens facie! Hac se animatos vegetatosque ; hac pastos, Tuos legimus Commilitones, quibus & Dies & Soles nitebant clariores vultus vbi Tuus erat.

Polonia interea Tua ; illeque Elector Populus, qui Te suum dixerat Regem, vniuersa beatior factus Christianitate (quæ tum ferri sub Potestate Hibernabat) à Barbaricis liber incursionibus, Regij Tui pectoris obiectu securus ; Tua inedia, Tua angustia, Tuis laboribus, Tuis periculis, Tuis insomnijs ad Delicias vsque, securos redimebat somnos ; felicisque Electionis fruebatur, & dilatæ Coronationis vtebatur fructu. Felices deperditorum Equorum inibi iacturæ! quæ tot Equestris Ordinis conseruarunt Capita! hostilem Equitatum quo solo nobis grauis, in pedestrem conuerterunt militiam! non infortunatas militum Tecum excubantium ærumnas : & Societate sui Principis ; & eo, quod velut Spinæ acutæ optatas, quietis nobis produxerint rosas ; talibus lucris quis non lætior sua cupit pensare damna!

Sed iam instante vere, non iam pullulantibus, sed imminentibus ab Oriente periculis: Tuæ hîc opus habebat præsentiæ VMBONE, Ales Polonus: quem ei nec potuisti nec voluisti negare. Firmata præsidijs Vkrainæ possessione: reddis Te nobis Princeps desideratissime. Cui velut obuiam facta, grata pro tantis beneficijs Patria; denuo Tibi Regiam Purpuram, Thronum, Coronam, præsentat; ad Regalia inuitat: Sed canente iam Classicum & vocante ad prælia Tuba; non Te hæc morantur decora: cuius actionum SVPREMA LEX; VITÆ MAXIMVM DECVS, SALVS POPVLORVM. Itaque Clamidem pro Purpura; cassidem pro Corona; Clauum pro Sceptro denuo sumis.

Aduentabat ingentibus Copijs stipatus, quatuordecem Ducibus Bassis Comitatus Imbraim; Tartarorum Chamo & Soltanis coniunctus: Nomine, solo & Maiestate Imperatori relicta; Orientalem trahebat Potentiam; Tuoq; Princeps Inuicte eandem iam infundebat Regno: longe lateque sparsis cernebatur ignibus; Tu vero his ipsis Illustrior incendijs: actiuior æstibus, Princeps. Præmonitis per literas Primoribus; Conuocatis qui adesse poterant IAVOROVIÆ Proceribus: Primate Regni de tanto periculo informato; ipse in Consilio præsentia demonstras discrimina. Darent tunc Consilium ei, Cui Tu Te, Tuaque profuse iam dederas. At de repentè tanta imminens potentia; moram Coadunandis viribus negare; supraque humanum, videbatur, esse Consilium. Vnanimis itaque Tibi Princeps (cuius in persona Respublica stare, cum eaque cadere, censebatur salus) Trans-Vistulanum suasere regressum; vbi sparsos congregare Exercitus; Nobilitatem mouere; hosti, obiectu fluminis Te facilius resistere posse demonstrabant. Verum Tibi aliam Superi eamq; Summos inter æstus præsentissimam, dedere mentem; malis cedere Nescie Princeps. Memor tum eras quantam Regni Tui, ne dicam potiorem portionem, hostili post Te reliquisses

furori;

furori; quam latam Barbaris Cracouiam vſque aperuiſ-
ſes viam; quanto cum dedecore illa ex Statione ceſſiſſes?
Quale iam Tibi reſtaſſet Regnum? ſi ijs contentus fuiſſes
limitibus, quos repentinus ille præfigebat Pauor? Igi-
tur hoſtiles Te velle proprio, pectore ſuſtinere impetus
declaraſti; totus Regno Tuo fieri Clypeus; potius glo-
riosè illis immori terris; quam deformi fugâ Tibiq;
inſueta tot hominum millia deſerere; inque Patriæ pe-
netralia receſſu Tuo hoſti faciles monſtrare aditus? Ma-
gni quondam Leonis, vrbis fundatoris, ceu fortis, Her-
cules, Sarmaticus, reſpicis Exuuias pergis Leopolim, ho-
ſtibus obuius; necdum duorum millium bellatorum
numero Comitatus; Caſtra munitionibus vrbis, Ca-
ſtris munitiones coniungis? viginti horarum ſpatio
pernicibus inſidens Equis, aberat hoſtis; eadem hora
in conſpectum Tuum venire; & Te aggredi poterat;
qua Tu Caſtris Idoneum vix occupaſti locũ. Nominis
Tui fama pro vallo erat; millibus armatorum æqui ua-
lere præſentiam Tuam; confeſſus eſt hoſtis; Ciues ve-
ro Tui ex Te vno mille Clypeos ſibi pendere cognoue-
runt. Ita confuſus ad famam Tui ſubſtiterat; Barbarus,
vt rebus ordinandis neceſſarium, tibi conceſſerit Spatiũ.

Vnde ex arte Imperatoria, Exercituum Ducem,
Principem Demetrium, ad tegendam Volhyniam cum
parte Equitatus, oportuno Brodijs, collocaſti loco; Su-
premum Regni Vexiliferum; ad impediendas Ruſſiæ va-
ſtationes in Brzezanij, cũ valida militũ manu excubare
voluiſti. Ruſſiæ Palatinum Złoczouiæ, ad intercipien-
dum inter Te & illum hoſtem, includere voluiſti; alios
per montana & Silueſtria oportunè diſpoſitos; alios ex
Vkraina reuocatos; hoſtium voluiſti inſiſtere tergo:
inque eum modum vniuerſa Ordinaſti, vt ille paulò
ante conceptus metus, qui cauebat ne veniret; iam in
votum tranſiret deſiderans, vt quantocius illa compare-
re auderet potentia; vndique intercipienda, cum Cla-
dibus reuerſura! Adeo militari ex prudentia. Naturam

locorum, momenta temporum, in Tui conuertens vsum; ex pessimo rerum Statu, in meliorem Te conuertere potuisse, læto accepimus experimento. Ita iam sollicitum de Te cum Republica Primatem, ea absoluisti cura; ne Sedibus suis, tempore messis euocaretur Nobilitas: frueretur quiete, eadem, tempore æstiuo; quam brumali eidem concesseras; Te illa pro se & algentem, & sudantem experiretur Principem!

Sensit Suis toties cautior ruinis hostis, Martem & artem Tuam. Vitat quantum potest congressum; iramq; transuersum effundit. Zbarazium antiqua potius fama, quam alia vi nixum, non tam expugnat, quam aggrestium confusione occupat. Quo facto, tot hebdomadas in loco consumit deliberabundus; quo se verteret? Vbique Tuas, Fera, metuens casses. Ita qui antea effusis solebat grassari agminibus; ingentesque spargere vastitates Barbarus; iam tum excubijs Tuis arctatus; glomerata multitudine, testiduneo incedit passu; de longe quærit famellicus quem deuoret? Hinc recensendi essent conflictus Tuorum felicissimi; liberati captiui; sauciati Tartarorum Principes; captiuati Duces: reiecti à Fortalitijs insultus; strati hostilibus cadaueribus Campi; quæ omnia longè maiora à Te hostibus illata damna, quam accepta, ostendunt; nisi me Compendium non Diarium gestorum Tuorum memorantem, breuitatis moneret Oratio.

Longam post deliberationem Imbraim, seu sibi desuper metuens; seu vires Tuas auctum iri, Lituanicis Exercitibus existimans, si vltra moraretur; tandem decreuit Ottomanicam, Tecum experiri Fortunam. Igitur selectorum è ducentis millibus bellatorum, ad quadraginta millia Equitum, meditato destinat operi: Tua iubet agredi Castra. Non cunctabundus procedis obuiam, quos diu expectabas: vno, medioque à Castris & vrbe milliari, apertis Tuos explicas Campis: Alacris It ad prælia miles, securus non vinci; cui Impera-

toria

toria prouidentia Tua, ſecura vndequaque parauerat receptacula.

Primo ex conflictu didicit Barbarus; & Te ibi vnde tam acriter petebatur præſentem; & antiquum Fortunæ Tuæ RITVALE hoſtili ſemper rubere ſanguine. Ideo nunquam turpem, vbi ſalutiferam ſenſit, capeſsit fugam. Soluitur illa nubes, quæ vaſtiſsimos nuper contexerat Campos! diffluit in ictu pene oculi, pernicibus abrepta Equis; & ne quid fugientem grauaret; arma, veſtes, Ephipia, captiuos abicit. Reliqua multitudo occumbenti debuit ſoli, quod eam ab inſequenti Tuorum militum ferro, nox texerit opaca! Hæc erat illa dies inſeras memoranda poſteritates; quæ tantam exigui temporis videns victoriam; Tibi immortalem fugatorum hoſtium, illis ipſis in Campis impoſuit Coronam! In craſtinum cedentibus inſtitiſſes, niſi fugam illam tam velocem fuiſſe conſtitiſſet; vt plurium dierum iter vna confecerit nocte. Quare conſultius videbatur diu ſperata & expectata, Magni Ducatus operiri robora; quæ palluſtribus & aquoſis intercepta locis: tardius procedebant. Barbari inter ea continuis Tuorum vexati vndique inſultibus; recenti tanti Equitatus confuſi fuga; virium Tuarum in dies comparentem reueriti Auxeſſim; regredi iam ceperant; & quod ſibi ſupererat, temporis; Obſidioni Podhaycy impendere decreuerunt: vel illo ſucceſſu, ſuam obliteraturi, infamiam. Mouerat Te illius loci & hominum periculum Princeps, ad ſuccurendum promptiſsime; itaq; ſparſim locatas contrahis vires: comparentibus iam in Caſtris Magni Ducatus, Copijs; bellicum conuocas Conſilium. Cui dum ex Ducentis bellatorum millibus; ſelecta, quadraginta millia Equitum hoſtilibus ſub ſignis adeſſe conſtaret: vniuerſi, periculoſæ opus Aleæ exiſtimant; tanta cum Potentia totque gradibus Superiori, aperto decertare prælio? Paſsim ea placuit ſententia, vt perſonam Tuam Princeps magnanime, vt Reipublicæ robur melioribus reſeruares temporibus; ſat gloriæ

Nomen Tuum habere; quod tanto Exercitu nullam rem insignem Tui gesserint hostes. imo vexati, fugati, recedunt; prædam iam cum Prouincias per Te, non licuit, quærunt & auferunt; Misericordiæ Dei magnalia in Te venerari Poloniam quod ipsam consumi non permiseris, Tu vero quid ad hæc? ad ardua habituate Imperator? O immitanda Christianis Principibus animi Tui sensa! quæ in hunc exponis modum.

Tot Christianorum millia, tot innocuas animas, prætioso Saluatoris redemptas sanguine, in duram abactas seruitutem; me respicere; me liberatorem & iustum præstolari vindicem; egonè diutius illorum patiar sortem & sine conscientiæ remorsu, sinè bonæ famæ apud Orbem læsione, hìc longiùs armatus morabor? absit hoc nefas; nec Imbraim alia habet vota; quam vt ego Generosiores amittam sensus. Iuuabit Sanctam piamq; causam Dominus ille Exercituum, qui non in multitudine hominum, & Equorum, Victorias operatur.

Factis, dicta Tua implentur. Moues arma contra Barbaros; & quanto dolentius, facilitate defendentium Podhayce hosti cessisse percipis; tanto acriori velut stimulatus ardore; ad excutiendam faucibus Barbarorum prædam Tuum acceleras iter. Nec hostes fugiendos segniores; superant flumina; disrumpunt Pontes, debiliores vel grauiores vindici Tuo objjciunt ferro: neceuasissent ni vliginosæ Terræ, continuis madentes pluuijs agri, Tuam remorati fuissent diligentiam! Adhuc Trembouliànæ Arcis auidus Jmbraim. Incredibili æstu &

Hinc

aſtu oppugnat munitionem; tamdiu, quamdiu aduentus Tui Nuntius ab incepto eum non fugauerat opere. Hinc iam CERVO DAMAQ; FVGATIOR IBAT, vicinam versus Valachiam, exiguam nec tantæ potentiæ correſpondentem referens prædam. Tu interim eos quos fama aduentus Tui periculo liberauerat, præſentia, Regia recreatos, inſigni remuneratos munificentia gradibus militaribus prouectos, inter eximia præmiatæ Fortitudinis recenſes Exempla. Hoſtem, Tuis inſequi iubes: Pontem eorum occupas; Camenecum omnibus deſtituis commoditatibus: Vaſtitateque illata cingis; per Valachiam diuerſis itineribus Equitatus Tuos emittis; deſertamque pene ad Dunabium vſque efficis Arabiam; quo difficilior poſthac hoſti in Podoliam daretur aditus. Tandem glorioſa poſt certamina, conſumato feliciter curſu; miſſis in remota Orbis Climata tot gloriæ Tuæ præconibus; quot pulſis hoſtibus: eas Coronationi Tuæ paras INDVCIAS quas diuturnioris moræ impatiens CORONA JVSTITIÆ expectabat. Tandem dimiſſo tantiſper ferro, Auſpice Numine, ſumis calamum; quo diem Coronationis Tuæ aſſignas; Ordinibus Regni Comitia indicis; & quam fortitudine Tua Reipublicæ Formam conſeruaſti; eam ſine ruga Patriæ reddis libertati. Chriſtianæ pietatis minimè oblitus, quâ Supremis Sereniſſimorum Anteceſſorum Tuorum exuuijs parentas officiosè.

Hactenus deuotus Maieſtati Tuæ Calamus meus, ab Electorali Campo tantis Terrarum tractibus ferreum Tuum velut fidelis vmbra ſequebatur ſtylum; nunc liceat illā Populi Poloni denuo, venerari prudentiam; quæ fauente Numine eum in perſona Tua inuenit Principem; qui memor noſtri, oblitus ſui, ſeptemdecem per Menſes ab vniuerſo ſpectabatur Orbe. Qui Coronationis Suæ non per otia & ludicra, non per neglectum & omiſsionem extraxerat tempora; ſed velvt fortiſsimus Athleta inter luctas & ſudores; inter prælia & certami-

na, Supremos à Patria auertendo agones consumpserat. Qui seculorum impleuit memoriam, Magnitudine rerum vnius & medij anni spatio gestarum. Et hoc est illud immortalitatis atrium; in quo vix Romæ quondam in Fabijs visa, hodie intuemur decora; Illustria amoris in publicum documenta; quæ seræ in hunc sensum mandamus posteritati. Quia

Ioannes Tertius Electus Rex Poloniæ, nõ Veios aut debilioribus ex hostibus vnum; sed illam Orbis Terrarum, qua maiorem non habet potentiam, proprijs sustinuit viribus; totumque supra humeros recumbentem Principatum; vt quondam Pius Æneas Patrem, ita ille Matrem & Clientem, Rempub: plusquam Troianis subduxit incendijs! Quomodo enim id vel ipsa negaret Inuidia; cũ vniuersi viderimus, eius solius ductu, auspicijs, laboribus, algoribus, sudoribus, insomnijs, Consilijs, pecunijs, amicis Fortunisq; Sarmaticam hanc propugnatam Spartam? Eum militem sub signis retinere; eum stipendia numerare: ab alijs amicis promptam ad prælia manum; ab alijs pecuniaria Subsidia accipere; postque vnum alterum & amplius millionem expensum; post litatos personæ propriæ, integræq; Domus Suæ, Bono Publico respectus; residua Fortunæ retenta; eiusdem Patriæ saluti exhibere vidimus: hoc toto tempore; quo ab Electione eius non militẽ in visceribus Regni grauem hieme; non hostem sæuum æstate habuimus; De longe eius audiuimus pro nobis assumpta pericula.

Non omisisset alter Princeps nec Primum Coronationis Suæ Terminum; sed forte tot amisisset Prouincias; quot in illam occasionem excubans occupasset hostis. Prius quidem ad Comitia; sed posterius ad ea iuisset

Castra; quæ solum cis Vistulam explicasset; iam non sua ex aduerso prospectans litora. Plenius in Palatijs Consilium; sed rariorem sub Pappillionibus militem habuisset. Exactè obseruasset Leges; sed forsitan eas,, quibus suas manus ligatas asserens: nil sinè nobis agere nil militi dare; nil publico præstare; nulla sine nobis subire bella; sibi Regia; nobis nostra relinquere pericula. Verbo dicam, fortè Coronam non Cassidem; Thronum non Equum; Regale Pallium, non Imperatorium paludamentum: Regnum, non Castra: ab Electore se petijsse Populo, & accepisse credidisset.

Posthæc quam maiorem in antiquitate vidit Orbis, quam augustiorem Gentis Nostræ Fasti monstrabunt SERVATORVM CIVIVM CORONAM? Facile, erat Boleslais, Vladislais; aut truces extirpare Iaziges; aut feras in vicinia domare Gentes; aut occidentem versus Polona dilatare Pomœria Ferreosque figere limites; dum velut absoluti Principes, penes se Supremum Imperium: penes populos sibi subiectos, ineuitabilem obsequendi necessitatem haberent. Centum millia virorum in aciem educere, Septennibusque Equestrem Ordinem poterant continere Castris.

Non difficile priori ad Chocimum bello, triginta dierum spatio vel minori, gesto & terminato: Plusquam quadraginta millibus Polonici Lituanicique Exercitus robore, Sexaginta millibus Cosacorum, Turcico bello ab ineunte ætate enutritorum virorum; tanti Imperij sustinere potentiam. aduentante in subsidium ipso cum numerosissima nobilitate Sigismundo Rege.

At vbi nunc non solum matura iam libertate suique arbitra in Gente præcario vicinius est Imperium; vbi Triginta prope per annos exhaustus Populus Christianorum Principum inter se cruento marte belligerantium, destitutus subsidijs solius Clementis Decimi Paterna suffultus liberalitate. Hostis è contra Europeo per Vngarica Exercitia, robore fortior; Creticis Triumphis

tumidior; & illo Regno potentior, in quo Christiani florem attriuerat Orbis: primis denique in Polonia successibus audacior effectus: Laborabit annalium fides omnibus his non succubuisse malis; imò in recuperata Vkraina gloriosè assurexisseRempub: necessitatem acceptandæ pacis ab hoste oblatæ, eo quod nō sat decora esset, non habuisse: Tartaros Turcas toties profligasse; geminatis vicibus ipsum Orientis Imperatorem fugasse; quinquennali bello solum Camenecum, inter amissa; idque extra præsentis Regiminis tempora numerasse. Nobilitatē vniuersam, magno Imperij arcano, necdum ad prælia euocasse: stipendiario solum milite; quindecim millia non attingente contra tot Regna hostilibus inclusa Castris, depræliasse; ingentes ad hoc non expresisse Contributiones: Maius penè, aut æquale in hoste, quam nobis iam inest, belli præsentis effecisse fastidium. Eo vsq; tantam reduxisse potentiam, vt quæ Regna & Prouincias integras alibi occupare solebat, illa nunc nec vno terræ aucta iugere, vix eā habuit prædam, quam olim furtiuæ Tartarorum non semel auexêre incursiones Hæc omnia non exercitui nostro, sed Gratiæ Dei, Ioannis in Nomine relucentis; in Prudentia operantis; in Fortitudine vincentis adscribere vtique tenemur; ni in Deum & homines ingrati esse velimus, in eum inquam qui virium nostrarum INFIRMA elegit vt ductu Electi nostri, orientalis mundi confunderet fortissima. Qui eum nobis præsenti Statui concessit Principem, sub quo vt quondam sub Traiano Roma FORTES MOVEMVS LACERTOS; Cuius ingenti animati Spiritu; spiramus fortiora, speramus meliora.

Nuper erat dum velut Canenses post Clades, de Republica desperabundi, iam iam migraturi Coloni, habitauimus Poloni (cur enim vera profere non liceat.) Iam conuasatis Domi rebus; multi nostrum Externa prospectabant receptacula; cæteri TRANSVISTVLANAS quærebant possessiones: pro desperato habentes, quidquid

quid prope pericula erat. Plurimorum fortunæ, charaque pignora, iam fluminum innatabant vndis; ad prima famæ Nuntia, secundis descensura aquis. Iam habitatoribus, vacuæ Russiæ Vrbes: vix miseram retinebant plebem; pars Magna Reipublicæ, melioris Conditionis Exspes; cedere vltro ijs videbatur Terris, quas necdum petebat hostis. Ioannes Tertivs, fortiter bellando, meliora exemplo suo monstrando; nobis Restitvit Rem. Vbi eum vidimus Regiam Personam; domumque: illis, vnde cedebamus, inferre Terris: ibi Regia pignora locare; latifundia dilatare; peculium, vasa, supellectilem, prætiosam; & transferre; & liberalissime boni publici causa distribuere: Redit quoque Nobis Ad Præcordia Virtvs; sperare incipiunt omnes; desperat nemo. Pudet eo iam cedere loco; alio exinde migrare velle; vbi tantus Princeps suam explicat fortunam. Redit suum Terris illis pretium; redit Ciuibus, boni Communis amor; bellici studij ardor. Volente, Cvpiente, Faciente, Ivsta, Fortia, Magnifica Principe nostro; Nemo Est Qvi Non Eadem Velit. Iam ea quæ metus, & desperatio à tot annis remotis in portubus, sepeliuerat deposita: spes melior eruit. Veniunt foras, qui vel ideo fætebant aurei argenteiq; Lazari, quod sub publica tutella nati; publicæ negabantur necessitati. Breui fore vt exemplo Regio, priuatæ Ciuiū fortunæ, publici fiant Iuris. Gliscet Generosa inter Seniores dandi; inter Iuniores bellandi æmulatio; dum iam passim plerosq; pæniteat, quod in Castris tanto cum Principe hiemes non transigerint; quod periculorum Socij non fuerint? Hæcce post primordia, breui illa maiorum Nostrorum reuertentur tempora; vbi æstimationem suam, non Arma Togæ, Nec Cedet Lavrea Lingvæ. Tua hæc sunt Princeps Augustissime decora; hæ Coronæ, conseruati Imperij, Spiritu Tuo animati. Tibi debemus, quod; qui paulo ante videbamur de Libro Viventivm, De Cathalogo Svbsistentivm Imperiorvm fatali Otto-

manorum eliminandi potentia; ecce adhuc in Te Auguste Princeps, VIVIMVS MOVEMVR ET SVMVS; imò quiâ denuo fortia patrare, quia denuo bono publico Nos Nostraque litare, Tuo exemplo, Te Duce & Auctore reincipimus, felices nobis, Orbi æstimandi, resurgimus.

Hæc est opima illa, tam ARMATæ quam AVRATæ Dexteræ Tuæ seges; hic beneficiorum Tuorum manipulus; Fascia æternitatis colligandus; quem laborum & liberalitatum Tuarum, Martis in arena iacta semina produxere: Septemdecem Menses, ab Augustis operibus Jure omnes augusti vocandi, maturescere fecerunt: Inuicta messuit Fortitudo.

His gloriosè peractis, progredere Princeps Augustissime, ex ARENA vbi BONVM quia publicum CERTASTI CERTAMEN: Ex STADIO, in quo CVRSVM GLORIæ CONSVMASTI: progredere ad SOLIVM, vbi REPOSITA est TIBI CORONA IVSTITIæ; QVAM REDDIT TIBI PER MANVS PRIMATIS SVI SENATVS POPVLVSq; POLONVS: HAC DIE, quà Te in Ecclesia Dei inter tot LVCERNAS, ABIGENDIS TENTATIONIBVS, ET TEMPESTATIBVS accensas; Magnum diei Sarmaticæ veneratur solem; Clarissimi Regiminis Tui Sacris Candelarum ex ignibus, summens auguria. Capesse vicariam Numinis Potestatem; rerumq; humanarum arbitrium. En iam ea à Te in solio consistente quæ à Deo in Sole Tabernaculum suum ponente; vniuersa præstolatur Polonia. Ideo vtramque, Dei scilicet & Tuam Maiestatem; solem & solium; vel ideo Serenissimum apellat; quia omnis Serenitatis, hunc & illud, nouit esse Originem: Ascende Princeps Auguste, illud solium; vbi noctes vmbrasque pellere; Nubes & tempestates dissoluere; Serenitatis Tuæ radijs: colorem & faciem rebus reddere. Tui Princeps Auguste erit muneris; vbi humanæ necessitates, tot Tibi supplices vultus; tot vota explicabunt, inter quæ etiam illa forte vel ijs similia occurrent Paradoxa: quæ pluuias fæcundas; àérisq;

Festo Candalarum Coronatur.

aërisque temperiem; magis à solio Tuo, quam ab ipso expetent sole.

Occupa Augustum Regij muneris Tribunal; in eoq; Ecclesiæ, Patriæ, tot Ciuium, Diuino quia Regio Iudicio, diiudica desideria. Sistent se Tibi illi, qui his dignitatibus, aut illis munijs, se à tot annis, tot ex rationibus, dignos esse præ cæteris iudicarunt. Tuum erit aprobare, vel retractare, tot sententias: multorum præconceptas de se, sine confusione, confutare; sine inuidia meliorare opiniones; his rem; illis spem concedere; hos hilares, sed nec illos tristes à Maiestate Tua recedere permittere.

Hic Regum nostrorum vt aiunt saltus, hic Rhodus, hæ symphlegadæ, per quas Reipublicæ Naui, aureum felicitatis publicæ petenti vellus, Te ad Clauum sedente, transeundum est! Princeps Augustissime. Hi sunt illi Scopuli, ad quos sub Antecessoribus Tuis toties nostra allisa ratis: tot ventis iactata & vndis! Nulla petendi regula coercemur, tantum petere permissum; quantum sperare licuit; iamque fere in vsum venerat rem vnam petentibus multis; vni, vbi minus ex æquo & iusto cesserit, reliqui repulsam, trahunt in offensam.

At hoc, nos iam absoluit periculo, æterni Numinis Prouidentia; quæ Tibi sedium suarum Asistricem SAPIENTIAM, & IVSTITIAM concessit, Princeps sapienter Iustissime; vtriusque assistentiæ, viuos & ante & post Electionem Tuam, legimus in Te Characteres; vtriusq; à Te ipso ab actionibus Tuis continuus eras Exactor; Tuum erat ea sapienter cupere, quæ iustè peteres; Sapientiæ ex Imperio oblatum, Principatum; Justitiæ ex præmio emeritam accepisti Coronam. Cum vtraque prius mereri, pugnare & vincere; bellare & triumphare voluisti; vt vnà Tecum ambæ in solio regnarent. Sibi non Tibi imputabit, quisquis SAPIENTIæ & IVSTITIæ non consultis Numinibus: à Te quidpiam petere præsumet; Nemo iuste Tibi incensere poterit; quod aliter dare beneficia

 peten-

petentibus non valeas, niſi qualiter Tu ea quondam acceperas: ita ſcilicet te vocationi Tuæ accingere ſolebas; vt Tu muneri Tuo datus; non munus Tibi donatum videretur. Tandem quis iniquo ferret animo Te ſalutem Populorum Pro Lege Svprema reputantem, illa ſolum priuatorum deſiderijs concedere vota, quæ publico concordant bono; illis fauere competitoribus; qui cum petitione capacitatem adferunt. Diuinæ enim Sapientiæ Dictamina, Principalis Tui, id eſt Regis Regum, eam Regnandi ſuppeditant Methodum ut ex illa pateat, non aliter Informe naſcentis mundi chaos, in tot ſubalternos efformatum Orbes; Niſi per exactam Elementorum ab inuicem diuiſionem: vnum quodque illorum, intra ſuas cohibendo Sphæras: Sic Tu Princeps Auguſte, difforme ſtatus Noſtri Chaos, non aliter ad debitum reduces Ordinem: priſtinæque reddes Serenitati; niſi Ciuium vota, in tot diſtinxeris Claſſes; quod illorũ exigunt capacitates; niſi eam corpori Politico conſeruaueris ſimetriã: vt cum omnibus omnia petere permiſſum, obtinere tamen non liceat; ne quis hanc, quam non nouit artem, exercere prætẽdat. Tui ad exemplum totus componatur Orbis. Tui, inquam, ad exẽplum; qui omne in Republica munus: vt onus acceptare ſolebas. Cuius rationem à Te ipſo in conſcientia, & bonæ Famæ, Tribunali, exigebas.

Hinc eſt illud impenetrabile tam diuturni Secreti Tvi Arcanvm; quo ſperare omnes; deſperare neminem vidimus; quo omnibus benemerendi datum eſt ſpatium. Quo nemini fauore Tuo inſoleſcere; aut repulſa confundi permiſſum; Tu interim Princeps Sapientiſsime, in Sacrario pectoris Tui, noſtras verſabas ſortes, perpendebas Merita, indoles connotabas; vt poſtea conferres beneficia, non proiceres, vt Eccleſiæ Dei Pios ſinè fuco Antistites: Currulibus Rectos ſine næuo Senatores, deſignares: Magiſtratibus Rempublicam, non Magiſtratuum vocabulis adornares: hominibus, litibus, non eorum ſimulacris, Cvriam, Castraq; impleres.

pleres.

pleres. Et quemadmodum ſol ita in Oceano comparet; vt in minimo quoq; totus videatur fonte ; Ita SAPIENTIA & IVSTITIA TVA, omnia Regni TVI TRANSCENDENS SVBSELIA ; tota vbique nec defectuoſa reſplendeat. vtq; de Deo & Principe etiam in minutiſsima pagina, non modo in magnis voluminibus, blaſphema legere non licet; ita in quauis dignitate, etiam ſubalterna, nefas eſt Principum vel eorum Iudicij improperia intueri; quot Magiſtratus à Te creati, tot Tuæ Panegyres erunt, IVSTITIÆq; DISTRIBVTIVæ MONVMENTA. DIVTIVS IVSTITIÆ & SAPIENTIÆ Tuæ Cultui immorantibus nobis; illud adhuc inter ingentia numeramus in acceptis à Te beneficia, Princeps in publicum Beneficentiſsime. INDVCIAS intelligimus, quas nobis eo fine inuicta Tua operata eſt Dextera; vt poſt tam diuturnum Iuſtitium, veterem Reipuplicæ intueremur Formam; liberas denuo & proferamus & audiamus voces; diſperſos nuper Varijs tempeſtatibus, Ciues, in Concentrico Coadunatos recenſeamus Capitolio! Libertatem auitam, Sartam, Tectamq́, Vmbone Tuo reuideamus; Hæc quam bene Tuis Princeps Auguſte fuerit concredita manibus; confuſus expertus eſt Oriens; nec facilius Tibi poſſe extorqueri hanc Clientem, quam Herculi Clauam.

Ita Seruatam Patriam, Iuris ſui eſſe iubes; dum belli paciſque quod ipſe hactenus habueras, eidem cedis arbitrium; Hoc contentus quod ex ſpecula Regalis Throni!, præſentis temporis pretium Ciuibus monſtras Tuis. Quod bene impenſum, ſalutem: male extractum, Supremum Populis accerſit exitium. Edoces, non deeſſe Regno Tuo numeroſa virorum robora, arma, Equos, Comeatus, peculium: ingentis Exercitus: formidandi Imperij materiem. Vellent vnanimes Ciues, Sanctæ FIDEI communiq; ſaluti; ſibi deniq; ipſis, id in vectigal ferre; quo adhuc abundant; quod hoſtis turpiſque alias eriperet fuga. Vellet totum Corpus, eorum malorum habere ſenſum; quæ heu nimium

 mium

mium affectæ, iam pridem sentiunt partes! Spectaret Prussia, vt sua, Russiæ pericula: Lituanus non alienas crederet, quæ VNIO communes efficit Poloniæ calamitates; nemo se saluandum crederet, nisi integra rate Vna salus omnibus, idemque periculum etsi fortè tardius; cras hos opprimet; vbi istos hodie oppresserit.

Quidquid in priuato possidetur; publica peperit tutella; Cui si non dare, saltem mutuare tenentur vniuersi. Cum fænore illa reddet, quæ accepit; negata cum dedecore perdet. Hæc non verborum sed factorum tenore liberis explicas Populis; nec à longe petitis persuades argumentis; sed proprijs Tuis exemplis, ad ea facienda inuitas, quæ iam ipse fecisti. Primus sperare de Republica cæpisti ne allij desperarent: Primus publico largiri, ne alij tam illiberales essent: Primus Palatij delicias aspernari; ne Ciuibus Tentoria essent fastidio; Primus luxum calcare, ne sumptuariæ Legis praxim erubesceret, Ciuis; quam in ipso cerneret Principe. TV REX, TV LEX ANIMATA; non in Codice quærenda, sed vel aperto in Throno Populis immitanda; eas viuendi explicas Regulas; quas SAPIENTIA & JVSTITIA TVA dictauit. Tu ipse Princeps Auguste fecisti, antequam facienda proponeres. Iamque nihil superest, quod à Te Christianus Orbis; quod Patria, quod Ciues Tui amplius petere valeant; omnium præocupasti vota; aut ijs quæ fecisti, aut ijs quæ Te Facturum declarasti; iam ad illud venisti punctum vltra quod salua Libertate; nec Deus, nec Tu qui eius vteris Potestate, procedere valetis. NOS SINE NOBIS SALVARE.

Quanta vero posthæc omnia ab Orbe Christiano, cuius Antemurale Inuicta Tua protexit Dextera; quanta à Senatu Populoque Polono, æternæ gratitudinis pro seruata Patria, Te manent decora? Generis humani, immortalium hæroum, per omnem antiquitatem respice memoriam? horum Augustum nomen Tuum inseretur Cathalogo. Hoc addito. Quod eò planè tempore

pore, quo Christianitas tota in sui conspirauerat exitium, mutuumque fuderat sanguinem: Ioannes Tertius Rex Poloniæ Gentilitio Suo Clypeo illius fulminis, quod ab Oriente exit, excipiens ictus: effecit; ne fatali per latus Sarmatiæ Christianitas caderet vulnere. Hoc ipsum Imperium, Gens & Nomen Polonum; durabiliora quam labiles Pyramidum moles, dabit Nominis Tui in posteritate MONVMENTA; quot Prouincias, Vrbes, quot Sacras hoc in Regno numeramus Basilicas, tot gloriæ Tuæ exurgere testes; quot Ciues, tot VOCALES, MOBILES, NOBILES, ET EQVESTRES STATVAS, Colossos & Obeliscos, Gloriæ Tuæ stare credimus: nec in Marmore sculpta, sed in cordibus, æternis Characteribus scripta Tua, Legent Elogia: NATI NATORVM ET QVI NASCVNTVR ab ipsis. Ita qui mortalem antea viuebas vitam; hæroica Methastasi in Corpus Reipublicæ translatus; quanto magis illud & perfectius animas, tanto certius mortalitatem Principis exuis, Reipublicæ induis immortalitatem.

Sed quantilla est pars ista, illius quod Te desuper manet præmij! Quidquid mundus hic tribuit; vel inter monumenta gratitudinis ostentat; vmbræ sunt, solidi illius Boni, quod Supremum Numen, ante & sera post fata in Generationes vsque præparat ijs; qui ritè Vicariam sui exercuére Potestatem. Hæc sola est illa Corona Iustitiæ, quam reddet TIBI Iustus Iudex Deus.